

## EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

E1\_01 v.1 Pannoniae rex, certa salus et gloria nostri  
 2 temporis, hos laeta pellege fronte libros.  
 3 Qualem te populis redeuntem ostendis ab hoste  
 4 delecto, talis carmina nostra lege.  
 5 Quando tuos potero felix spectare triumphos,  
 6 victricem tanget cum mea dextra manum ?  
 7 Tam longo quamquam spatio me dividat aequor,  
 8 fama tamen montes transvolat et maria,  
 9 suspensoque mihi pandet tua gesta, Mathya,  
 10 gesta Sophocleo vix referenda pede.  
 11 Tunc me non humilem, princeps, mirabere vatem,  
 12 si tanto norim me placuisse duci.

## TRIUMPHUS ET VITA MATHYAE REGIS ADMIRANDA, VERSU HEROICO PERCURSA.

E1\_02 v.1 Magnanimi aeternos regis memorare triumphos  
 2 gestaque Pindaricis numeris scribenda Mathyae  
 3 fert animus ; sed nil vestro sine numine tentem,  
 4 Pierides. At tu, princeps, mihi pande recessum,  
 5 Calliope, ut liceat penetrare Heliconae sonorum  
 6 Parnasique sacras haurire biverticis undas.  
 7 Virtutis jam mater erat praesaga futurae :  
 8 se parere ingentem clipeum per somnia vidit  
 9 ex adamante, trucis quo tela immania Turci  
 10 Pannonia arceret procul et contemneret hostem ;  
 11 ac prodire suis validam genitalibus hastam  
 12 cernebat, cujus tremeret Germania motu,  
 13 Illyricae Venetumque urbes ac Thracia fortis,  
 14 pontus et Euxinus vertebat terga pavore.  
 15 Omnia victori redeunti ex hoste marito  
 16 grandia conceptae narrat miracula prolis  
 17 alma parens certumque ducem regemque futurum  
 18 Hungariae affirmat, quo non felicius alter  
 19 sit regum, insignis pariter pietate vel armis.  
 20 Subrisit conjux uxorisque omine laetus  
 21 exspectat tacite maturi tempora partus.  
 22 Fraterno postquam novies sua cornua Phoebe

23 lumine complevit, materna prodiit alvo  
 24 in lucem egregius signis regalibus infans,  
 25 cui nomen genitor divina sorte Mathyam  
 26 imponi jussit. Vix prima adoleverat aetas,  
 27 artibus ipse bonis pueriles imbuit annos :  
 28 Romanum eloquium didicit clarosque poetas,  
 29 historicosque omnes miro pellegit amore  
 30 evolvitque sacrae divina volumina chartae ;  
 31 inter et aequaevos nuda luctare palestra,  
 32 Spartano de more, puer, dorsoque volantis  
 33 vectus equi in parvos didicit deflectere gyros  
 34 quadrupedem indomitum, jaculoque insignis et arcu  
 35 Parthorum certas potuit superare sagittas.  
 36 Bellorumque omnes artes juvenilibus annis  
 37 edoctus, meruit pugnae sub patre Joanne,  
 38 ductore insigni, quo non praestantior armis  
 39 dux fuit et nulli in bello velocior astus,  
 40 cum metus urgeret, nullique audacia major.  
 41 Sub tali ac tanto princeps genitore Mathyas  
 42 edoctus, merito regni jam dignus habenis  
 43 visus erat ; sed livor edax post funera patris  
 44 egerat extorrem profugumque in carcere regis  
 45 externi. Tantum potuit sua cognita virtus  
 46 et caeleste Dei donum et solertia matris,  
 47 Pannoniae ut proceres dominum regemque crearent.  
 48 Extemplo velox it cuncta per oppida rumor  
 49 Principis electi, magnus quae perluit Ister.  
 50 Tunc subito ingenti certatim gaudia plausu  
 51 effundunt laeti populi juvenesque senesque  
 52 solemnem coluere diem regnique coronam  
 53 in patriam nondum regi misere reverso.  
 54 Nam, spectata ducis virtus moresque probati  
 55 magnifico quales poscas in principe, cunctas  
 56 amovere moras. Primus sua tradere jura  
 57 quisque sibi accelerat, velut esset culpa secundum  
 58 in regis jurare manus. Ruit undique vulgus  
 59 visendi studio et dextram contingere certant.  
 60 Felices illi qui sunt rectore sub uno  
 61 praestanti ! Hunc proceres et plebs ceu numen adorent,  
 62 qui bello fortis surgentes arceat hostes  
 63 quique regat justus populos in pace quietos.  
 64 Talis magnanimi proles generosa Joannis  
 65 in regnum Hungariae est populo plaudente reversus.  
 66 Nec spes decepit. Subito namque expulit omnes  
 67 infames nullumque suis est passus in oris  
 68 sistere qui veluti saevae contagia pestis  
 69 exemplo posset sanctos corrumpere mores.  
 70 Praecipue furtis saevisque latronibus instans  
 71 purgavit latos fines saltusque malignos,  
 72 ut nunc per totum regnum secure, viator,  
 73 carpere iter tutum nullo discrimine possis.  
 74 Mox etiam edicto lascivas respuit artes ;  
 75 jussit et indomitam pubem exercere palestram  
 76 in pratis magnumque Istrum tranare lacertis,  
 77 quadrupedisque citi pronos decurrere dorso  
 78 telaque torquere et gladios vibrare micantes.  
 79 Hungarus hanc unam didicit mavortius artem,  
 80 militiam et grave Martis opus tolerare sub armis :

81 vel cum bruma, gelu et glacie, compescuit Istrum  
82 Alpigenamque Savum, rapidi vel flumina Drausi,  
83 seu cum torrentes exurit Sirius agros,  
84 sub galea divoque manent, exempla secuti  
85 principis invicti. Jam formidabile nomen  
86 Pannonium cunctis populis lateque furentes  
87 invictosque olim Turcos rejecit ab arvis  
88 Dalmatiae trepidosque metu disjecit ad Hemum.  
89 At Danaum eversor, Scythicis qui erupit ab oris,  
90 Turcorum princeps, nulli feritate secundus,  
91 turpe putans, populis a se jam mille subactis,  
92 uni terga duci dare, protinus impiger omnes  
93 imperii collegit opes magnoque furore  
94 Dalmaticos populatus agros Drausique sonantis  
95 jam rapidas multis alis trajecerat undas.  
96 At non cunctatus nec segnis, martius heros  
97 robore collecto ruit obvius Hungarus hosti.  
98 Nec mora fit pugnae : instructis exercitus armis,  
99 ut belli sonuere tubae, prorupit uterque  
100 et primum jactis obscurant aethera telis  
101 innixique hastis transfigunt pectora longis.  
102 Exoritur clamor, crebris sonat ictibus aether ;  
103 ut coiere manus, destringunt cominus enses  
104 fulmineos nudisque petunt mucronibus hostem.  
105 Hungarus instat atrox, sed nec cessere latrones  
106 (sic Scythico immanis fertur cognomine Turcus).  
107 Hic quoniam Europae populos dicione subegit  
108 victor et egregiam Byzanti diruit urbem,  
109 secum indignatur quod pugnet viribus aequis  
110 accola Danubii tentetque lacessere bella.  
111 Hungarus at contra miles mavortius ensem  
112 fulmineum rotat et densas prorumpit in alas,  
113 Turcorum assuetus rabiem frenare furentem ;  
114 vertere terga hosti victosque excedere campis  
115 Istricolae duxere nefas vix morte piandum ;  
116 praeterea impellit cari praesentia regis.  
117 Qui, qua tela videt densissima, primus in hostem  
118 urget equum, scindit cuneos densosque maniplos  
119 dirumpit secumque viam mucrone patentem  
120 efficit. Ut fulmen nubes, ut chillo columbos,  
121 ut tigris pecudes, ut praeceps vertice saxum,  
122 ut sata prosternit plenus rupto obice torrens ;  
123 sic Christi invictus ductor secat agmina ferro,  
124 nec jam Turcorum possunt durare cohortes.  
125 Ceduntur pedites, versis labuntur habenis,  
126 castra petunt equites fusi valloque relicto  
127 per nota in patrias fugiunt compendia sedes.  
128 Instat victor ovans noctesque diesque Mathyas  
129 multaue tardantum in latis dat funera campis.  
130 Intumuit rapidus spumanti sanguine Drausus  
131 vorticibusque atris prostrata cadavera volvens  
132 Alpigenam sanie maculavit decolor Histrum.  
133 Nec jam contentus patrios defendere fines,  
134 dux alacer celsis munitas montibus arces  
135 Teucrorum expugnat ; caesis pulsive colonis,  
136 oppida Christicolis et fido milite replet.  
137 At Scythici non dum feritas mollita tyranni  
138 excursare audet rursusque invadere fines

139 Dalmaticos tentatque Savum penetrare sonorum.  
 140 Horret adire tamen nec credere longius audet,  
 141 Pannonium totiens experta ; binominis Istri  
 142 robur et alba suis inhumatis ossibus arva  
 143 formidat, nec, victa, potest absistere bello.  
 144 Verum, ubi nequicquam regem superare Mathyam  
 145 regnator Trojae potuit, se vertit ad oram  
 146 Ausoniae socerique urbem expugnavit Idruntum  
 147 placavitque Italo Turcorum sanguine manes.  
 148 Tunc metus Hesperiae trepidas invaserat urbes,  
 149 barbara gens tanto fuerat bacchata furore.  
 150 Dux Calabrum, suus affinis, fortissimus heros,  
 151 collecto Ausoniae victrices robore turmas  
 152 invasit retroque hostem detorsit in urbem,  
 153 sed frustra inclusos munita obsedit Idrunto.  
 154 At rex Pannonius socero miserisque Latinis  
 155 mille viros misit, fortissima pectora bello,  
 156 Herbariumque ducem, quo non solertior alter  
 157 nec magis assuetus Turcorum occurrere telis  
 158 exstitit. Adventu cujus conterritus hostis  
 159 non ausus fuit in campos prodire, sed intus  
 160 servabat tutos trepida formidine muros.  
 161 Tandem, ubi nulla fugae nec spes erat ulla salutis,  
 162 tradidit Alphonso quas bello coeperat arces.  
 163 Servata est igitur per te, venerande Mathya,  
 164 Italia, horrendi exstinguens incendia belli  
 165 ac formidandae solvens primordia cladis.  
 166 Te quoque terribilem sensit Germania regem,  
 167 ipse licet Caesar sumptis invaserit armis  
 168 Pannonios Fredericus agros ; Venetusque superbus,  
 169 ne qua tuas merces deferri possit in urbes,  
 170 Illyricos statione sinus observet et undas  
 171 Adriacas faveatque tuo contrarius hosti !  
 172 Tu tamen invictus partes discurras in omnes  
 173 ac diversa simul pertentas proelia victor.  
 174 Nunc Scythicos urges Belgradi ex arce colonos  
 175 et simul ipsa tua pulsatur porta Viennae  
 176 cuspide et immanes Dacos a finibus arces.  
 177 Te quisquis laedet, sciat irritare cabrones ;  
 178 nec jam Sarmaticus gaudet bella impia Caesar  
 179 te contra movisse : dolet pacemque reposcet,  
 180 ut reor, et longo firmabit foedere pactum.  
 181 Salve, magnanimi proles invicta Joannis !  
 182 Salve, bellipotens praesentis gloria saeculi !  
 183 Tu, Nazareni dux invictissime Christi,  
 184 Maumettis potes insanos frenare furores ;  
 185 tu sacrosanctae es fidei fortissimus umbo  
 186 hastaque, nostra salus, at Turcis pestis et horror.  
 187 Quo nunc divinas percurram carmine laudes ?  
 188 Quae quibus anteferam ? Rerum me copia vincit.  
 189 Perstrinxisse sat est ; forsitan tua fortia facta,  
 190 Rex invicte, canam magni post proelia Carli,  
 191 quae cecini multum insudans ter quinque per annos.  
 192 Otia si nobis dederit Florentia mater  
 193 qualia Maecenas, longo memorabilis aevo,  
 194 Virgilio tribuit, si non urgebit egestas,  
 195 magna Sophocleo referam tua gesta cothurno.

AD REGEM MATHYAM  
UT, CUM OTIUM DETUR, EPIGRAMMATA SUA LEGAT EX SACRIS LITTERIS DEPROMPTA.

E1\_03 v.1 Si quando, armipotens, tibi cessat bellica cura,  
2 otia cum fuerint, carmina nostra lege.  
3 Hic nihil obscenum invenies, quod principis aures  
4 offendat, sed quae virgo Catoque legat.  
5 Non haec composui vatum de more priorum ;  
6 crebrior est Pallas quam mihi dicta Venus,  
7 plurimaque inseritur nostris sententia chartis ;  
8 nil praeter Christum carmina nostra sonant.  
9 Deduxique novem in Christi sacra templa sorores :  
10 per me Calliope est initiata sacris ;  
11 non Hippocrinem sed baptisteria potat  
12 Jordanisque sacri est gratior unda choro.  
13 Tu quoque, catholicae fidei, rex unice, cultor,  
14 casta fluentini carmina vatis ama.

AD REGEM MATHYAM,  
CUI LIBELLOS SUOS COMMENDAT, QUI PROPERENT AD EUM PATRONUM ET ORNATOREM IRE.

E1\_04 v.1 Ad te festinant sine me, rex, ire libelli ;  
2 non mare, non longas pertimere vias.  
3 Jam defensorem, jam te posuere patronum,  
4 jam sordent illis, tecta paterna, lares.  
5 Jam nequeo retinere domi, nidoque relicto  
6 ut Phoebi corvus jam sine matre volat,  
7 sic volucres rapidis decurrunt passibus ad te ;  
8 devovi hos, postquam sic voluere, tibi.  
9 Demisso his jussi vultu tibi ferre salutem,  
10 poplite deflexo cum tua tecta petent ;  
11 vertice nudato tum supplice voce perorent ;  
12 adjungant lepidos cum gravitate sales.  
13 Sintque breves ; nullum mordaci scommate laedant ;  
14 sint nitidi et terso dulciter ore sonent,  
15 oreque virgineo prope te nil turpe loquantur ;  
16 respuit obscenos regia casta jocos.  
17 Sin secus accedent, detorques ocius ad nos,  
18 ut castigatos virga paterna notet.

AD LIBRUM SUUM,  
UT SE OSTENDAT BEATRICI REGINAE PANNONIAE, POETARUM FAUTRICI.

E1\_05 v.1 Pannonii regis cum celsam intraveris aulam,  
2 Reginae thalamos, parve libelle, pete.  
3 Haec Ferdinandi est soboles generosa Beatrix ;  
4 vatibus haec sacris semper amica fuit.  
5 Postquam dicta salus, et dextrae dextera nexa est,  
6 exposcet subito : "Qualis et unde venis ?"  
7 Dic te siderei prodire e dogmate Christi,  
8 dic te Socratici multa referre libri,  
9 et Latii magni Tuscis a finibus hospes  
10 tam longum per iter regia tecta subis.  
11 Abs te scire viae causam si forte requirat,  
12 quid dices, Tyrius cum notet ora pudor ?

13 Dic te magnanimi commentum gloria regis  
 14 Pannoniam adtraxit. Nil tamen ipse petas ;  
 15 te legat, hoc sat erit : si non explosus abibis,  
 16 scommata non poterunt saeva nocere tibi.  
 17 Pertenuem censum domini narrabis egeni ;  
 18 nil tamen efflagites, neve protervus eris.  
 19 Sponte dabit ; nihil ipse petes supplexque tacebis :  
 20 nam qui non poscit, munera plura feret.

CUR, RELICTO CARMINE HEROICO, EPIGRAMMATA SCRIBAT.

E1\_06 v.1 Cur brevia alternis epigrammata versibus edam  
 2 si quaeris, potius quam fera bella canam,  
 3 cum magis altiloquo currat mea Musa cothurno,  
 4 non debent magno carmine parva cani,  
 5 et quandoque juvat deserto monte per imas  
 6 tendere iter valles et variare vices.  
 7 Nec minor in tenui labor est, nec gloria dispar,  
 8 nec pariter cunctis carmina quaeque placent.  
 9 Non idem est gustus : tu velles dulcia vina,  
 10 ipse Casentinis acida nata jugis.  
 11 Hic teneros elegos et salsa epigrammata vellet,  
 12 tu legis altiloqui carmina Virgilii.  
 13 Illi igitur debetur honos et gloria major,  
 14 ingenio multis qui placuisse potest.

PATIENTIA IN ADVERSITATE TAMQUAM AURUM IN FORNACE PROBATUR.

E1\_07 v.1 Rebus in adversis patientia vera probatur :  
 2 cujus trajecit pectora sermo Dei,  
 3 hic non concutitur, rebus nec luget ademptis ;  
 4 cui charitas domini est, nil habet ille mali.  
 5 Haeret quippe Deo vinclo mens nexa tenaci :  
 6 ergo quis esse potest cum charitate miser ?

QUI SEQUITUR PRAECEPTA DEI NUMQUAM ERIT INFELIX ;  
 QUOD CHRISTUS FECIT, NOS IMITARI DEBEMUS.

E1\_08 v.1 Vis salvus fieri ? Crucifixi signa sequaris ;  
 2 hujus enim castris nemo perire potest.  
 3 Si praecepta ducis servaveris omnia, numquam  
 4 hostis fallacis decipiere dolis.  
 5 Victor eris, si nudus eris : audacior ibis  
 6 quo suadet princeps, quo jubet ire Deus.  
 7 Auratos currus ussit Peleius heros  
 8 exemplumque sui est turba secuta ducis,  
 9 ut vacuus gaza Persarum victor ad Indos  
 10 curreret, ut minime sarcina tardet iter.  
 11 An miles Christi, caeli qui tendit ad arcem,  
 12 divitias secum tam grave portet onus ?  
 13 Rex regum, Christus, sine tecto vixit egenus :  
 14 tu, Christi cum sis miles, habebis opes ?

QUOD DIFFICILE EST OPTARE ET POSSIDERE DIVITIAS SINE CRIMINE,  
NEC SIMUL DEUS ET DIVITIAE AMARI POSSUNT.

E1\_09 v.1 Esse cupis felix et nullo crimine dives,  
2 et cupis aeterni regna videre Dei ?  
3 Nil agis, infelix ! Optas contraria vota :  
4 vis fieri magna cum gravitate levis.  
5 Non geminis opus est, sed pes tibi sufficit unus :  
6 unica per callem ducit ad astra via ;  
7 angelico effectus Jacob certamine claudus,  
8 diversum ut vitae nosceret officium.  
9 Quo poteris pacto fieri sine crimine dives ?  
10 Nec cum divitiis Christus amandus erit.

AD REGEM MATHYAM, BELLO AC PACE INSIGNEM.

E1\_10 v.1 Virtutis jam fama tuae totum occupat orbem,  
2 extremi fines exit ad Oceani.  
3 Pannoniis nuper veniens germanus ab oris,  
4 dixit : "Quae bello, quae quoque pace geras,  
5 scilicet ut regum non sit te justior alter,  
6 Turcorum exitium Christicolumque salus.  
7 Armis turpe putas vinci, sed turpius auro :  
8 munera te nemo largius ulla dedit."

CONTRA AVEROIM COMENTATOREM, CATOLICAE FIDEI IMPIUM HOSTEM.

E1\_11 v.1 Perfide, quid dixti intellectus ut unicus omnes  
2 permeat, et Christi carpis, inique, sacra ?  
3 Tam dirum unde nefas ? Quae te dementia coepit ?  
4 Qua demonstrari vis ratione Deum,  
5 cum sis finitus, cum sis mortalis, at ille  
6 incircumscribitus cum sit et omnipotens ?  
7 Miraris potuisse Deum de virgine nasci ;  
8 quod nostra induerit corpora, monstra putas,  
9 ut nos a primae purgaret origine labis :  
10 haec delirantis somnia dicis anus.  
11 Qui fecit caelum, qui certos ordine cursus  
12 distinxit, facere hoc cur potuisse negas ?  
13 Perfide, Christicolis ludis dicisque loquaces,  
14 demonstrant fidei quod ratione nihil.  
15 Tum quia corpus edant Christi potentque cruorem,  
16 tigridas immanes Lestrygonasque vocas.  
17 Sentires aliter forsan, sacra mystica Christi,  
18 depositis tenebris, si tibi nota forent.  
19 Inmundis sed quis dabit aurea munera porcis ?  
20 I procul a Christi religione, canis !

IN CAELO SUNT OMNES FELICES SINE INVIDIA, LICET DISPARI SINT GLORIA.

E1\_12 v.1 Sidereos cives vis tanta innectit amoris,  
2 nullius ut tangat pectora livor edax.  
3 Est omnis aequae felix, sed gloria dispar :  
4 pro meritis non dat plusve minusve Deus.  
5 Quoque cares laetus gaudebis ut alter abundet,

6           ceu dederit Christus talia dona tibi.  
 7       Noris quippe Deum tribuisse haec omnia juste ;  
 8           aequa Deus meritis praemia cuncta dedit.  
 9       Nec plura optabis, contentus sorte minori ;  
 10       quodque Deus dederit, perdere nemo potest.  
 11       Summum, crede, bonum caelo reperitur in alto,  
 12       quod tollet nullo tempore longa dies.

DE FAMA, QUAE EST ACRE TELUM AD RES OBEUNDAS.

E1\_13   v.1     Carior argento fama est ; qui negligit illam,  
           2           virtutis numquam cura futura sibi est.  
           3     Ad res fama acer stimulus perhibetur agendas,  
           4           qua sine ceu pecudes quisque jacebit iners.  
           5     Quem non fama movet, nequicquam hortabere segnem ;  
           6           non hominum in coetu connumerandus erit.

NON DEBEMUS QUERERE LONGAM SED VITAM BONAM.

E1\_14   v.1     Qui vitae brevitatem dolet, cupit ille laborem  
           2           et procul a portu per mare tendit iter.  
           3     Quem Deus imposuit, cunctis est finis habendus,  
           4           seu brevis est vitae, seu tibi longa via.  
           5     Non quantum vivas quaeras, et tempora perdas,  
           6           sed bene ; sat longa est, cui bona vita fuit.

CONTRA AVARUM, QUI MAGIS PECUNIAE QUAM AMICITIAE STUDEAT.

E1\_15   v.1     Ah, quanto melius tibi veros esset amicos,  
           2           undique quam magnas quaerere divitias !  
           3     Nulli cura minor dulces reperire sodales,  
           4           sed regum magnas continuare domos.  
           5     Dimidium, mihi crede, tui est jucundus amicus :  
           6           quo pacto poteris parte carere tui ?

CONTRA PERFIDUM, QUI FIDEM FREGERAT QUAE ETIAM HOSTIBUS SERVARI DEBET.

E1\_16   v.1     Vincula, crede mihi, prisci majora Quirites  
           2           porrectae dextrae non habuere fide.  
           3     Regulus immanes rediit moriturus ad hostes,  
           4           cui vita fuerat carior alma fides.  
           5     Non dulces nati et lacrimae tenuere gementis  
           6           conjugis, et patriae non tenuere preces.  
           7     Et non dum caelo Christus descenderat alto,  
           8           nec dederat legis foedera sancta Deus.  
           9     Nos, genus electum, nos, Christi sacra propago,  
          10           servemus mira religione fidem.

QUI CULPAM DEFENDIT, PECCATUM CONGEMINAT.

E1\_17   v.1     Si culpa defensor eris, geminabitur error ;  
           2           impunita solet crescere nequitia.  
           3     Repperit improbitas jam nunc quaecumque patronem,



4           defensore suo crimina nulla carent.  
5           Utilius, mihi crede, bonis sua dona negare est  
6           quam meritas poenas non posuisse malis.

DE MAGNIFICENTIA DEI,  
QUI AMICIS SUIS LIBERALIBUS ET BONIS CENTUPLA MUNERA CONDONAT.

E1\_18    v.1       Centupla dona Deus tribuit sua sacra colenti  
          2        saepeque promissis munera plura dedit.  
          3        Qui bona pauperibus Christi donarit amore,  
          4        fenore centeno multiplicabit opes.

MORS ACERBIOR EST DIVITI QUAM PAUPERI ;  
NIHIL PRAETER CULPAM ET VIRTUTEM PORTATUR AD INFEROS.

E1\_19    v.1       Divitias cumulas ? Major te poena sequetur,  
          2        depones aegre cum moriturus opes.  
          3        Quid facies ? Stygias aurum non fertur ad undas,  
          4        sed culpa aut virtus, illa vel illa comes.  
          5        Nudus erit miles, curaque solutus ab omni,  
          6        qui sequitur nudi principis arma Dei.

AD URBEM FLORENTIAM,  
UT NIHIL TIMEAT, SI ODIUM CONTRA CIVES SUOS PONAT, SERVATA JUSTITIA.

E1\_20    v.1       Te numquam externi violentia subruet hostis ;  
          2        si sis fida, tibi nemo nocere potest.  
          3        Omnis civilis discordia diruit urbes,  
          4        interna est labes omnis origo mali.  
          5        Scipio servabat merito Carthaginis arces,  
          6        interni tamquam frena futura mali.  
          7        Quas postquam evertit sententia magna Catonis,  
          8        impia Romanas vertit Erinys opes.  
          9        Nec sortem adversam damnes, Florentia, sed te ;  
         10        nemo tuum externus subruet imperium.  
         11        Exemplum genitricis habes, manet exitus idem ;  
         12        impia nascentis semina tolle mali !  
         13        Si fuerint proceres justis, concordia felix  
         14        nascetur ; regum quis tibi obesse potest ?

FORTUNA PROSPERA NUMQUAM FUIT CUIQUAM DIUTURNA,  
SED PLERUMQUE INFELICES EXITUS MORANTUR ILLAM.

E1\_21    v.1       Divitiis et honore tumes felixque videris  
          2        quod tibi nil dederit sors violenta mali.  
          3        Nota tibi est Croesi, Samiorum nota tyranni  
          4        fortuna : eventus dirus utrisque fuit.  
          5        Nescis fallacis quot luserit aura sereni  
          6        et medio in portu saepe carina perit ?  
          7        Cui nihil adversi per longum contigit aevum,  
          8        jam sibi perniciem noscat adesse suam.  
          9        Sin vero ad mortem duret fortuna secunda,  
         10        altera post mortem vita futura gravis.  
         11        Quid narrem heroas per mille pericula Christi

12 vulneribus caelum vix meruisse suis ?  
 13 Caecuba tu potas, auroque insignis et ostro :  
 14 aeternam patriam sic peperisse putas ?  
 15 Militibus Christi longe est inimica voluptas,  
 16 pauperibusque magis dat sua regna Deus.

CONTRA AVARUM,  
 QUI DIVITIAS CUMULAT SUMMO LABORE, QUAS SIT RELICTURUS HOSTIBUS SUIS.

E1\_22 v.1 Quid petis, infelix, quid te noctesque diesque  
 2 excrucias ? Demens, in tua fata ruis !  
 3 Quaeris opes terramque omnem disquiris et aequor,  
 4 ut tibi majori fenore crescat onus.  
 5 Sub quo servitio, sub quo cruciere tyranno !  
 6 Rodit enim semper vermis avaritiae,  
 7 saevior inque dies instat veniente senecta,  
 8 urget et extremo mortis in articulo.  
 9 Utere quaesitis et amicis laetus egenis  
 10 partire : hoc pacto multiplicabis opes,  
 11 antea confringat quam fila novissima Cloto,  
 12 arbitrio felix ut moriari tuo.  
 13 Quippe haeres seram locupletis funeris horam  
 14 anxius exspectat fataque tarda dolet ;  
 15 haeredis fletum dicunt sub tegmine risum.  
 16 I, cumula, demens, hostibus ista tuis !  
 17 Amittes numquam quae tu donabis amicis ;  
 18 quas tibi conservas, alter habebit opes.

AD MICHAELEM FILIUM SUUM,  
 QUEM HORTATUR AD STUDIA HUMANITATIS IN TENERA AETATE

E1\_23 v.1 Indole tam clara notus, carissime fili, es,  
 2 ut factis jam sit fama probanda tuis.  
 3 Ne nomen perdas et fama feratur inanis,  
 4 hoc igitur debes pervigilare magis.  
 5 Te pater et patruus moveant, tibi gloria calcar  
 6 admoveat, stimulos det tibi laudis amor.  
 7 Nil duce desperes, juvenis, virtute parare ;  
 8 sed non cunctandum est : labitur hora celer.  
 9 Dum puer es (studiis haec apta est omnibus aetas)  
 10 incumbe, utque stili sit tibi cura prior,  
 11 quem solers multum scribendo effeceris usu ;  
 12 doctrinae interea cura secunda tibi.  
 13 Sed pro comperto est, quicquid juvenilibus annis  
 14 perdisces, tollent tempora nulla tibi.  
 15 Pravorum ut pestem in primis commercia vites :  
 16 haec aetas vitiis pronior esse solet.  
 17 Rumpe moras, nam vita brevis longissimaque ars est,  
 18 et post fata bonis longa futura quies.

CONTRA EOS QUI VOLUNT IN HAC VITA REQUIESCERE,  
 UT AETERNE LABORENT IN ALTERA.

E1\_24 v.1 Quisquis in hac (demens !) quaerit requiescere vita,  
 2 altera plena sibi vita laboris erit.

3 Currimus hac omnes, capiunt sed praemia pauci ;  
 4 non hic desidia est nequitiaeque locus.  
 5 Segnitiam nobis prohibet certamen et hostis  
 6 saevus et aeternae mortis ubique pavor.  
 7 Nos alacres reddat promissi gloria caeli,  
 8 quam Deus athletic praemia certa dabit.  
 9 Vel poenae aeternae vel dona aeterna dabuntur :  
 10 quem vitae istius terreat ergo labor ?

CONTRA AMBITIOSOS,  
 OSTENDENS VITAM TYRANNICAM ET PROCERUM ESSE MISERRIMAM.

E1\_25 v.1 Si scires quanto discrimine vita tyranni  
 2 vexetur, dicas tristius esse nihil.  
 3 Regna velut pestem fugeres Syllamque cruentum  
 4 laudares, posuit cum sua regna ferox.  
 5 Magnanimi contra damnare Caesaris arma,  
 6 cum patriae injecit ferrea vincla suae.  
 7 Mille dolis petitur populi procerumque tyrannus :  
 8 quae nox cum somno est, quae sine lite dies ?  
 9 Inviso regi numquam fuit ulla voluptas  
 10 unaque sollicito non vacat hora metu.  
 11 Impendere sibi totidem quibus imperat hostes,  
 12 et sciat esse sibi tela inimica domi.  
 13 Quid miserabilius sine amicis ducere vitam ?  
 14 Hosti communi sed quis amicus erit ?  
 15 Quod petitur multis, magno discrimine habetur ;  
 16 pestifera invidia regia nulla caret.  
 17 Sis bonus ipse licet, populi si flectis habenas,  
 18 tu tamen invidiae cuspage fossus eris.  
 19 Ambitio praeceptis omnique inimica quieti est ;  
 20 ex hoc nequitiae fonte venena fluunt.

QUOD CONTRITIO CULPAE  
 AD CAELESTIS REGNI RECUPERATIONEM PER NECESSARIA EST.

E1\_26 v.1 Quisquis Olympiaci fieri vult incola regni,  
 2 admissae culpae lugeat usque notam.  
 3 Corde gerat tamquam descriptum in codice crimen,  
 4 possit ut erroris paenituisse magis.  
 5 Semper et instantis circum se limina mortis  
 6 horreat, et justum cogitet esse Deum,  
 7 quam sit vita brevis, quam sit fugitiva voluptas  
 8 et solidum nostris rebus inesse nihil.  
 9 Nec quemquam invenies ex omni sorte beatum,  
 10 ni mundo extremum clausit ore diem.

NULLUS IMPERATOR MAJORA PRAEMIA DEDIT SUIS MILITIBUS QUAM CHRISTUS,  
 QUI REGNUM CAELI SUIS CHRISTIANIS COMMILITONIBUS IMPARTITUR.

E1\_27 v.1 Militibus si dona suis dat Christus Olympum,  
 2 cur piget in castris aera merere suis ?  
 3 Terrestrem ob patriam magni cecidere Quirites ;  
 4 impulerat tantus pectora laudis amor.  
 5 Nos ob caelestem patriam pugnare pigebit,

6           immensum paritur cum sine fine decus ?  
 7       Si tantum ob viridis sudavit frondis honorem  
 8       Graecia, cum volucris pulsus Olympus equo est,  
 9       nos erimus resides ob gemmae sarta triumpho  
 10       aeterni ? An quisquam desidiosus erit ?

QUOD INANIBUS CURIS IMPLICITI HOMINES AETERNA RELINQUANT.

E1\_28   v.1       "O curas hominum vanas !" Sic Persius orsus  
 2           ostendit nobis mentis inesse parum,  
 3       qui curvi in terris vivamus more ferarum,  
 4       ignaros quo mens, quo Deus ipse vocet.  
 5       Hic sumus athletae, certandum est : praemia caelum  
 6       victores, victos Tartara saeva manent.  
 7       Instat atrox hostis, noctesque diesque minatur  
 8       exploratque aditus in tua corda, ferox,  
 9       ut si cessantem nec viderit arma tenentem,  
 10       continuo occultis te petet ipse dolis.  
 11       Non ita nocturnus lupus insidiatur ovili,  
 12       cum siccas fauces urget iniqua fames.  
 13       Sic vigil insidiis daemon tua pectora circum  
 14       excubat, inquirens quo capiare modo.

DE CHARITATIS LAUDIBUS.

E1\_29   v.1       O charitas dilecta Deo, pretiosior auro !  
 2           O charitas cunctis anteferenda bonis !  
 3       Per te de caelo aeterni sapientia regis  
 4       infusa est utero, virgo Maria, tuo.  
 5       Humanum per te genus est a morte redemptum,  
 6       per te siderei est janua aperta poli.  
 7       Te sine perfectum nihil est, tu forma bonorum es ;  
 8       cui non est charitas, nil habet ille boni.

NIHIL EST AVARO MISERABILIVS,  
 CUJUS VITIUM AD MORTEM PERDURAT, SEMPER CRESCENS.

E1\_30   v.1       Heu, quanto argentum discrimine quaeris et aurum !  
 2           Infelix, laqueos instruis ipse tibi !  
 3       Carpit inops securus iter, nec tela nec hostes  
 4       latronumque dolos insidiasque timet.  
 5       Tu vero ad motae pallescis harundinis umbram ;  
 6       cura vigil noctes te cruciatque dies.  
 7       Crescit avara sitis faucesque exsiccat anhelas :  
 8       quoque magis potat, plura requirit hydrops.  
 9       Omne aliud vitium longaeva aetate senescit,  
 10       nummorum solus sed juvenescit amor.

CONTRA CURIOSOS ET INQUIRENTES SCIRE CAUSAM DIVINAE TRINITATIS.

E1\_31   v.1       Quaeritis aeterni causas cognoscere Christi,  
 2           cur tres, cur unus, cur homo sitque Deus :  
 3       "Aequalisque patri est, et cum genitore coaevus ?  
 4       Procedit sicuti spiritus ille sacer ?"

5 Oceani guttas et arenae noscere grana  
 6 vellereque e caelo quaeritis astra manu !  
 7 Puro corde fides portam reserabit Olympi ;  
 8 ostendi humana non ratione potest.

AD FRANCISCUM BANDINUM FLORENTINUM,  
 PANNONII REGIS FAMILIAREM CUI &LIBELLOS SUOS COMMENDAT.

E1\_32 v.1 Pignora cara tibi fidi veterisque sodalis,  
 2 commendo nostros, dulcis amice, libros.  
 3 Per te aditus pateant, Bandine, ad regia tecta :  
 4 deduc atque illis dirige, frater, iter.  
 5 Nempe verecundo forsan nimis ore timebunt,  
 6 reginae ac regis praepediente metu.

AD CALLIMACHUM ETRUSCUM POETAM INSIGNEM, PANNONII REGIS AMICUM.

E1\_33 v.1 Callimache, aeterni renovas qui nomina vatis,  
 2 nec sinis ut versu sit prior ille tuo,  
 3 Etrusci vatis peregrinum suscipe carmen  
 4 hospitiumque illi praebe, poeta, tuum.  
 5 Commendes precor ut docto mea carmina regi,  
 6 ut Maecenatis praebeat officium.  
 7 Laudari a doctis vera et pulcherrima laus est ;  
 8 plebs sine doctrina, iudicioque caret.

EX AGRO PANNONIO CESSIT AQUILA VICTA A CORVO VICTORE.

E1\_34 v.1 Victori corvo cessit Jovis impiger ales ;  
 2 gratior est Phoebo quam fuit ante suo.  
 3 Jam niveis rursus vectetur in aethera pinnis,  
 4 et prima inter aves gloria corvus erit.

## EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS.

ARRAGONUM SOBOLES, REGINA BINOMINIS ISTRI,  
 VERINI LAETA PELLEGE FRONTE LIBRUM.

E2\_01 v.1 Nil habet obsceni, sed virginis ore modestae  
 2 demisso incedens regia tecta petit.  
 3 Hunc quoque victatis legisset Vesta libenter ;  
 4 posceret hunc avide pellegeretque Cato.  
 5 Socraticos mores, partim sacra mystica Christi  
 6 continet ; obsceni nil habet iste liber.

AD LIBRUM SUUM,  
UT INDOCTOS ET AVAROS FUGIAT, ET NISI TERSUS IN LUCEM PRODEAT.

E2\_02 v.1 Quo properas ? Audi domini praecepta parumper,  
2 tam longum ut possis carpere tutus iter.  
3 Te nulli ostendes, ni te Permessidos undis  
4 ablueris : terso tu prius ore nites.  
5 Illita ne fuco meretricis tinxeris ora,  
6 sed tibi natus fulgeat ore color.  
7 Indoctos fugias, nec tectum intrabis avari  
8 hospitis ; est cunctis hostis avara domus.  
9 Quisquis erit doctus, nostro salvere iubeto  
10 nomine, et illius tecta libenter adi.

AD DOMINUM PETRUM ARCHIEPISCOPUM COLOCENSEM,  
VIRUM SAPIENTISSIMUM, MATHYE REGIS PRIMUM SECRETARIUM.

E2\_03 v.1 Antistes venerande, tuum jam nomen ad oras  
2 Ausoniae sparsum est claraque fama tua est.  
3 Et merito : Italiae edoctus puerilibus annis,  
4 Attica novisti nostraque verba, Petre.  
5 Mox tua nota fides regi te fecit amicum  
6 Pannoniae, et primo diceris esse loco.  
7 Saepe tua in dubiis velox prudentia rebus  
8 cognita, honoratum fecit habere locum.  
9 Hos tibi commendo, antistes venerande, libellos,  
10 ut laudes regi carmina nostra tuo.  
11 Nil, reor, offendet tam sancti principis aures ;  
12 tu mihi Maecenas, tu mihi Caesar eris.

INCREPAT TARDITATEM HOMINUM AD BENE OPERANDUM.

E2\_04 v.1 Surge, age, quid cessas ? Sparguntur tempora canis ;  
2 lux extrema tibi crastina forsan erit.  
3 Gaudia quid differs vitae meliora beatae ?  
4 Dum loqueris, velox labitur hora tibi.  
5 Surge, age, rumpe moras ! Brevis atque simillima puncto est  
6 vita hominis ; citior labitur illa Noto.  
7 Mane puer fueris ; noctis surgentibus astris  
8 incipis esse senex ; cras moriere, miser !  
9 Cottidie morimur, dum transmutamur, et idem  
10 non sumus ; in fluvium nemo bis ire potest,  
11 ut placet Heraclito. Quid enim formidine mortis  
12 tremur ? Nati hac condicione sumus.  
13 Migrandum est alio ; tibi summe viatica caelo  
14 dum potes, et rebus consule, amice, tuis.

DE LAUDIBUS PATIENTIAE.

E2\_05 v.1 Unica virtutum longe patientia custos,  
2 fortiter aerumnas nos tolerare iubet.  
3 Armatos hostes patientia vincit inermis ;  
4 haec saxo, haec solido durior est calibe.  
5 Fortis Idumaei tam clarum exemplar athletae est,  
6 quem non Assyrii perdomuere duces ;

7 non rabidi venti, non ignis ab aethere missus,  
 8 vincere natorum non potuere neces.  
 9 Non animum flexere suum manantia tabo  
 10 ulcera, non tantis uxor iniqua malis.  
 11 "Cuncta Deus dederat, Deus abstulit omnia", dixit.  
 12 Cur jacis in magnum tristia verba Deum ?  
 13 Quid non expugnat victrix patientia ? Caeli  
 14 haec aperit clausas imperiosa fores.

INVOCAT PACEM UT ITALIAE LABANTI SUCCURRAT.

E2\_06 v.1 Terrarum pax alma quies, succurre labanti  
 2 Ausoniae et belli ferrea tela preme.  
 3 Debacchata satis Latias Bellona per oras :  
 4 quos illa intactos sanguine liquit agros ?  
 5 Quid referam eversas Tuscis in montibus arces,  
 6 quid ferro et flammis oppida versa solo ?  
 7 Quid Calabrum in campis narrem lacrimabile bellum,  
 8 Turcorum rabie tot cecidisse viros ?  
 9 Nunc vero innumeris Ferraria cingitur armis,  
 10 vinctus et Eridanus compede tardat aquas.  
 11 Fulminat ad portas Veronae Martius heros  
 12 dux Calabrum, et Venetas depopulatur opes.  
 13 Concussa Italia est ; odiis certatis iniquis,  
 14 Ausonides, tamquam barbara tela premant.  
 15 In vestra, heu, miseri, nudatis viscera ferrum !  
 16 Oenotria, heu, misera, est debilitata satis.  
 17 Jam delicta nimis luimus : pax aurea, tandem  
 18 sanguinei rapidos comprime Martis equos.  
 19 Hic Italis quintus bellorum volvitur annus,  
 20 et vereor ne sit major in arma furor.  
 21 Alma veni, pax alma, precor, confringe furores !  
 22 Quid cum pace mali est ? Quid sine pace boni est ?

DE REDITU LAURENTII MEDICIS

E2\_07 v.1 Solvamus pia vota Deo ! Jam bruma recessit,  
 2 jam suavis viridi gramine vernat humus.  
 3 Jam rediit Medices, Tusci tutela senatus ;  
 4 nil reduce hoc timeam posse venire mali.  
 5 Aut bona tranquillae spectabimus otia pacis,  
 6 aut hostis nostro perfidus ense cadet.

QUOD HOMINES LIBERO ARBITRIO, SINE DEI GRATIA, CAELUM MERERI NEQUEANT,  
 ET QUOMODO PROCEDATUR.

E2\_08 v.1 Conquereris quod sic hominem natura creavit,  
 2 ut felix minime, si velit, esse queat ;  
 3 scilicet ut caelum possit virtute mereri,  
 4 non est arbitrii gratia tanta tui.  
 5 Infelix igitur naturaque manca videtur :  
 6 haeresis haec quondam Pelagiana fuit.  
 7 Sed primum Deus inspirat, mox nostra voluntas  
 8 libera consentit, post bene fiet opus.  
 9 Gratia nam gratum faciens, sic nomine dicta,

10 felices sola nos charitate facit.  
 11 Invitum nec te qui fecit ad astra vocabit,  
 12 ni prius arbitrium moveris ipse tuum.

AD JOANNEM NESIUM, QUOMODO A PECCATIS SIT ABSTINENDUM.

E2\_09 v.1 Siquis Tartareas poenas et praemia caeli  
 2 cogitet, et vitae quam brevis hora volet,  
 3 aut raro aut numquam macularet crimine mentem,  
 4 nec brevibus sineret longa perire bona,  
 5 sed veluti viso fugeret peccata colubro.  
 6 Nec mirum : hoc animam, corpus at ille necat.  
 7 Nos, Nesi, miramur opes ; nos blanda voluptas  
 8 instar brutorum ducit in omne nefas.

HOMO, AD IMAGINEM DEI CREATUS, PERVERSE MAJOREM GERIT CORPORIS  
 QUAM ANIMAE CURAM.

E2\_10 v.1 Esse Dei natura hominis perhibetur imago ;  
 2 hoc minime nostri corporis esse reor,  
 3 sed menti nostraeque animae caelestis origo est,  
 4 quae pura et simplex quaeque figura Dei est.  
 5 Sidereis mens est hominis pretiosior astris ;  
 6 corpore quid nostro vilis esse potest ?  
 7 Aegrotat corpus : subito medicina paratur,  
 8 ut serves quod mox vermibus esca datur.  
 9 Aegrotant vitiis animi : quis pharmaca praebet ?  
 10 Quodque est aeternum, labe perire sinunt.  
 11 Corporis omnino brevis est quaecumque voluptas,  
 12 post illam tristis subsequiturque dolor.

DE CLEMENTIA DIVINA ERGA GENUS HUMANUM.

E2\_11 v.1 Criminibus nostris major, clementia Christi  
 2 hoc proprium didicit, parcere semper opus.  
 3 Desperet nullus, sed sit fiducia ; numquam  
 4 est serum culpae paenituisse suae.  
 5 Ter Christum caput Ecclesiae, Petrus, ore negavit,  
 6 sed fletus veniam commovere sui.  
 7 Quid tibi Memphis narrem delicta Mariae ?  
 8 Laide vel Graia notior illa fuit.  
 9 Ipsa tamen flendo meruit super aethera ferri  
 10 terque die angelicos viva videre choros.  
 11 Latronis caelum meruere novissima verba :  
 12 quod scierim, fecit nil prius ille boni.

DOCTRINA CHRISTIANA FACIAT HOMINEM FELICEM.

E2\_12 v.1 Maeonides vates, Linus, Orpheus, arva Canopi  
 2 et petiere tuos, Memphis superba, lares.  
 3 Europae atque Asiae paene omnes circuit urbes  
 4 Pythagoras Samius, magnus et ipse Plato :  
 5 doctrinae studio tantos subiere labores,  
 6 nec vere felix ille vel ille fuit.



7 Immo, tot adversis confusa Academia sectis  
 8 exstitit, ut veri nil reperire queas.  
 9 Involucris alter sic cuncta aenigmata texit,  
 10 ut pars vix longo tempore nota foret.  
 11 At nunc felicem divina volumina Christi  
 12 ruddere vel minimo quemque labore queunt.  
 13 Namque Evangelii clarum jubar expulit omnes  
 14 errores, veri perdocuitque viam.  
 15 Omnia catholico nunc sunt conformia vero,  
 16 ejusdemque Dei est omnibus una fides.

CONTRA TEMERE MURMURANTES SINE DISCUSSIONE VERITATIS.

E2\_13 v.1 Quis scelus esse neget perjurae murmura linguae,  
 2 vel tacita alterius mente putare nefas ?  
 3 Qui conjecturis cito judicat, ille putatur  
 4 esse levis cordis, mentis et esse malae.  
 5 Corda Deus noscit : cur sic aliena reprendis ?  
 6 An sunt haec oculis crimina visa tuis ?  
 7 Non tu, sed iudex solum est Deus omnibus unus ;  
 8 sunt dubia in melius quaeque putanda tibi.  
 9 Est forsitan Curius, qui creditur esse Tonoscon !  
 10 Par tibi iudicium Jupiter ipse dabit.

HOMO VITIIS PEJOR BRUTIS, VIRTUTE AUTEM SIMILIS ANGELIS EFFICITUR.

E2\_14 v.1 Nil melius virtute hominis, nil crimine pejus ;  
 2 pejores vitiis dicimur esse feris.  
 3 Si superat virtus, caeli cognomen habebis  
 4 et merito superis aequiperandus eris.

DE SUPERBIA, QUAE EST VITIORUM PESSIMA ET MALORUM OMNIUM RADIX.

E2\_15 v.1 Exsuperat fastus pestes capitalior omnes ;  
 2 ex hoc nequitiae fonte venena fluunt.  
 3 Epyrea haec primum dejecit ab arce superbos,  
 4 esse Deo meritis qui voluere pares.  
 5 Felicem haec eadem paradiso dispulit Adam,  
 6 a quo contraxit tota propago notam.  
 7 Quicquid peccatur, damnosa superbia causa est :  
 8 infensos homines haec jubet esse Deo.  
 9 Aequalem nullum patitur natura superbi ;  
 10 illi saepe tamen contigit esse minor.

QUI DEUM VULT VIDERE, SIT MUNDUS AB OMNI PECCATO.

E2\_16 v.1 Qui cupit aeterni faciem spectare Tonantis,  
 2 corporis atque animi crimina cuncta lavet :  
 3 non decet immundum quicquam pertingere purum,  
 4 destruit et nimius lumina nostra nitor.  
 5 Quippe Dei lux est Phoebea lampade major ;  
 6 cernere vix potuit posteriora Moses.  
 7 Sed qui lotus erit, vitio quoque mundus ab omni,  
 8 huic fiet facies conspicienda Dei.

QUI VULT CONSEQUI VENIAM PECCATORUM, AGAT PENITENTIAM ANTE DIEM EXTREMUM.

E2\_17 v.1 Quicumque exoptat veniam requiemque malorum,  
 2 ingemat erroris paeniteatque sui,  
 3 quo vos usque Dei clementia tanta moretur :  
 4 jam non ille potest crimina vestra pati.  
 5 Quae vos oblivio, quae vos lethargica pestis  
 6 invasit ? Somno surgere tempus adest !  
 7 Rumpite, quaeso, moras vitiisque imponite finem  
 8 antea quam frangat Parca severa colos.  
 9 Iudicii tunc tempus erit ; post funera justus  
 10 justa Deus merito praemia cuique dabit.

DE BREVITATE VITAE ET STULTITIA HOMINUM, QUI CADUCA AETERNAE PRAEPONANT.

E2\_18 v.1 Esse hominis vitam fumum testatur et auram  
 2 et merito Salomon ; quid nisi pulvis homo est ?  
 3 Vita mali plena est, curritque volatile tempus,  
 4 nec quisquam sentit mortis adesse diem.  
 5 Quis tam mentis inops vitae praesentis amore  
 6 ut brevia aeternis praeposuisse velit ?

QUI VULT AMARI A DEO, SERVET EJUS MANDATA.

E2\_19 v.1 Vis te Christus amet ? Christi praecepta sequaris ;  
 2 ex toto ardentem dilige corde Deum.  
 3 Castra Dei nostri miles quicumque sequatur,  
 4 observet magni jussa tremenda Dei.  
 5 Oblitusque sui Domini si castra relinquet,  
 6 in caelo Dominus non memor hujus erit.  
 7 Si fortis, si fidus eris, majora petitis  
 8 accipies ; non dat munera parva Deus.

CONTRA PROTHAGORAM NEGANTEM DEUM ESSE  
 ET CONTRA EPICURUM NEGANTEM ANIMAE IMMORTALITATEM.

E2\_20 v.1 Aeternos animos quicumque negaverit esse,  
 2 ille etiam nullum dixerit esse Deum.  
 3 Impie Protagora, scelus execrabile dixisti ;  
 4 traxisti unde nefas hoc, Epicure, tuum ?  
 5 An cadit in mortem simplex et ab aethere missum,  
 6 quod non compositum est et quod imago Dei est ?  
 7 Corpora quin etiam post mortem aliquando resurgent,  
 8 doctrinae hoc princeps senserat ante Plato.  
 9 Armenius surrexit Iris, bis quinque diebus  
 10 qui jacuit patria contumulatus humo.  
 11 Rursus et aethereas est missus testis ad auras,  
 12 ostendens geminas funeris esse vias.  
 13 Dixerat ista Plato. Cur tu mirere, sepulchro  
 14 si prodit fetens quatridente caro ?  
 15 Hujus enim imperio caelum tellusque creata est  
 16 ex nihilo et quicquid terra polusque tenet.  
 17 Quicumque ista negat, dubius vel credit et haeret,

18 se jam iudicii sentiat esse reum.

QUID SIT DEUS.

E2\_21 v.1 Scire cupis Superum quae sit substantia regis ?  
 2 Ens sine principio est, ens sine fine Deus.  
 3 Omnipotens, simplex, immobilis omnia volvens,  
 4 et faciem illius nemo videre potest.  
 5 Ipse auctore caret, qui condidit omnia verbo,  
 6 et nihil est quod non fecerit ipse Deus.

CONTRA MANICHEUM HAERETICUM.

E2\_22 v.1 Quid, demens Manichee, tibi jejunia prosunt ?  
 2 Absque fide potuit nemo placere Deo.  
 3 Phantasma esse Dei dixisti corpus inane  
 4 femineoque ortum ventre fuisse negas,  
 5 regia ne Christi majestas sordibus esset  
 6 infecta et rubris corpora foeda notis.  
 7 An radii solis caeno maculantur ab atro ?  
 8 Et decies Phoebi est clarior orbe Deus !  
 9 Verbum nonne caro factum est ? An teste Joanne es  
 10 verior ? Unde tuo hoc venit in ore nefas ?  
 11 Si Deus humano non esset corpore cinctus,  
 12 esset ab inferni non homo liber aquis.  
 13 Quis cruce confixus ? Quod fodit lancea pectus ?  
 14 Cujus cinxerunt spinea sarta caput ?  
 15 Cujus erat sacer ille cruor de corpore manans ?  
 16 Sanguine phantasma et spiritus osse caret !  
 17 Forsitan ista negas ? Nescis, scelerate, prophetas  
 18 tot saeculis ortum praecinuisse Dei !  
 19 An sacra mentitur caelestis pagina Christi,  
 20 cujus non unus iota perire potest ?

CONTRA ARRIUM HAERESIARCHAM,  
 QUI PONEBAT PATREM MAJOREM FILIO IN TRINITATE

E2\_23 v.1 Si minor aeterno patre filius esset, ut, Arri,  
 2 dixisti, plures, non Deus unus erit.  
 3 Non eadem unius substantia numinis esset,  
 4 si prior aut major ille vel ille foret.  
 5 Sacrilege, aeternam charitatem scindere frustra !  
 6 Tu ne unum poteris subsecuisse Deum.  
 7 Carnifices tunicam minime proscindere Christi  
 8 sunt ausi : tentas tunc secare Deum ?

DEUS EST LUX MUNDI, PER QUEM CUNCTA LUCENT.

E2\_24 v.1 Lux mundi Deus est, phoebea lampade major ;  
 2 omnis in hoc Christi lumine tutus eat,  
 3 carpat iter tutum per mille pericula, Christi  
 4 Dum cecas tenebras effugat alma dies,  
 5 antea quam mortis tenebrae tua tempora velent :  
 6 tunc manet offenso quanta ruina pede !

7 Quod noceat, veteres "noctem" dixere Quirites ;  
8 Ipse "dies" nomen fertur habere Dei.

FRUGALITAS CIBI ET SOBRIETAS VINI REDDIT HOMINES PUDICOS ET SOLERTES.

E2\_25 v.1 Vis fieri castus, vis mente et corpore sano ?  
2 Mensa tibi simplex, sit tibi potus aquae.  
3 Lactucam betamque tibi dabit hortus inemptas ;  
4 expectata diu, sit coquus ipsa fames.  
5 Vini parcus erit ; sine vino manca libido  
6 torpet, et aegrescit debilitata Venus.  
7 Vinum, crede mihi, res luxuriosa putatur :  
8 turpius esse potest ebrietate nihil.  
9 Pervertit mentem, corrumpit corpora vinum,  
10 debilitat nervos vimque furoris habet.

DE CRATE THEBANO.

E2\_26 v.1 Ne nimium pondus Cratem submergeret auri,  
2 jecit in aequoreas quicquid habebat aquas.  
3 "Divitiae procul ite malae ! Procul, improba pestis,  
4 discede ! A vobis non ego mergar ! " ait.  
5 Hoc si thebanus nullo monitore peregit,  
6 discipulus Christi num quid habebit opes ?

VIRGINITAS EST EXCELLENTIOR MATRIMONIO.

E2\_27 v.1 Virginitas caeleste decus, clarissima virtus,  
2 rara quidem, fateor, majus et ergo bonum est ;  
3 Est quia difficilis, non hanc praecepit ut omnes,  
4 sed capiat tantum qui queat esse capax :  
5 hoc monuit Paulus, magni tuba clara Tonantis.  
6 Plerunque in sacris virgo minister erat.  
7 Consilium esse Dei Grai dixere Sybillam :  
8 Virgo Sybilla fuit. Virgo propheta fuit,  
9 aut tunc conjugio abstinuit ventura canendo.  
10 Virgo Jesus noster, virgo Maria fuit.  
11 Bragmanum princeps fertur de virgine cretus ;  
12 virgineos caeli quis neget esse choros ?  
13 Nec quisquam in caelo nubet, sed virgo manebit,  
14 Cum fuerint animis reddita membra suis.  
15 Concepit Perito phantasmate virgo Platonem,  
16 conjugueque Esseos abstinuisse ferunt.  
17 Euripides scripsit Cretae abstinuisse prophetas  
18 a Venere, et coctos non tetigisse cibos.  
19 Conjugium laudo (quis enim culpaverit ipsum ? ),  
20 Sed longe est major virginitatis honor.

NEMO EST BEATUS ANTE MORTEM.

E2\_28 v.1 "O Solon, Solon !", ter Croesus in igne vocavit ;  
2 scilicet ante obitum nemo beatus erit.  
3 Hic se felicem regno credebat et auro  
4 esse, nec hoc regum ditior alter erat.

5 Amissa hunc patria, natis et conjuge capta,  
 6 eripuit flammis imber, Apollo, tuus.  
 7 Hic est vita brevis multasque habet anxia curas,  
 8 ast summum est alibi, res diuturna, bonum.

DE CONTRITIONE NECESSARIA AD SALUTEM ANIMAE.

E2\_29 v.1 Omnia si vero lueres peccata dolore,  
 2 effugeres poenas tartareosque lacus.  
 3 Dat veniam semperque Deus miserebitur ultro ;  
 4 contriti cordis pulvis amica Deo est.  
 5 Si moestus lacrimis amissa numismata defles,  
 6 perdita quo caeli regna dolore gemes ?  
 7 Dum veniae est tempus, dum libera nostra voluntas,  
 8 contrito mitem quaerite corde Deum :  
 9 nescitis quando Lachesis fila ultima rumpet.  
 10 Si lotus fueris, sidera celsa petes ;  
 11 sin eris immundus, vel sit licet unica sordis,  
 12 aeternis poenis excruciere, miser !

CUR POTIUS HUMANA QUAM ANGELICA NATURA SIT REDEMPTA A DEO.

E2\_30 v.1 Angelus ob proprium fastum dejectus ab alto est ;  
 2 fraudibus alterius praecipitatus homo est.  
 3 Angelus, aetherea post regem proximus aula,  
 4 debuerat magni jussa timere Patris,  
 5 et quia nobilior, sceleratior esse putatur :  
 6 Non meruit veniam criminis ergo sui.  
 7 Quamquam animus noster regis caelestis imago est,  
 8 Corpus humi tamen est, nomen et inde trahit.  
 9 Nec fraus tota sua est, sed daemon criminis auctor ;  
 10 contribuit nobis ergo redemptor opem.

DEBEMUS ESSE BONI ET NON VIDERI TANTUM.

E2\_31 v.1 Niteris esse bonus ? Laudo. Cupit ille videri ?  
 2 Dum famam quaerit, se probat esse malum.  
 3 Qui nocuisse potest, solo virtutis amore,  
 4 Non poenae, a vitiis abstinet, ille bonus.

OPERATIO VIRTUTIS JUCUNDIOR EST QUAM VITIORUM.

E2\_32 v.1 Sit quamvis declive malum, sit blanda voluptas  
 2 peccatique patens et sit ubique via,  
 3 Virtutis tamen est longe jucundior usus,  
 4 et magis atque magis finis amoenus erit.  
 5 Angustus, fateor, callis virtutis ad astra  
 6 aspraque saxosum semita monstret iter.  
 7 At vacuae vitiis agitant quae gaudia mentes !  
 8 Contra, peccati pectora foeda notis  
 9 excruciant scelerum Furiae noctesque diesque ;  
 10 his nullas poenas aequiperare potes.  
 11 Te numquam absolves, etiam te iudice ; semper  
 12 criminis ipse tui testis et hostis eris.

## QUOD PAUPERTAS EST BONUM, DIVITIAE AUTEM MAGIS REICIENDAE.

E2\_33 v.1 Paupertas, mihi crede, bonum est ; qui possidet aurum  
 2 numquam tranquilla mente quietus erit.  
 3 Quos hostes habet ille domi, quot in arce tyrannos,  
 4 ingentes Crassi qui cumulavit opes !  
 5 Sobria paupertas sine curis, libera, parvis  
 6 aedibus haud ullis invidiosa manet.  
 7 Securam solis vitam traducit in agris  
 8 castaque decoctum prandia praebet olus ;  
 9 pomaque deliciae et pendentes vitibus uvae  
 10 et siquid pinguis dat sibi multra seri.  
 11 Felix paupertas ! Tibi cedat purpura regum,  
 12 ipsa tuis caedant atria magna casis.  
 13 Tu modicis contenta cibus, at dives avarus  
 14 plura sitit : credas cuncta deesse sibi !  
 15 Alterius mercis quid si non institor esses,  
 16 sed tibi congereres, quanta vorago fores !  
 17 Non tua sunt. Dominus tribuit tibi quinque talenta :  
 18 Cum Domino ratio est haec subeunda tuo.

## QUOD SPES EST ANCHORA FIDEI NOSTRAE ADVERSUS OMNES TEMPESTATES.

E2\_34 v.1 In medio pelagi vexatam turbine navim  
 2 Spes validis vinclis anchora firma tenet,  
 3 nec sinit avelli, saevus licet urgeat Eurus,  
 4 Non tamen ut rapido devoret unda sinu.  
 5 Spes alit afflictos ; Christi spe vivimus omnes,  
 6 nec peccatorem respuit ipse Deus :  
 7 Paenituisse sat est lapsis, veterumque malorum  
 8 contrito veniam poscere corde jubet.

DE LACRIMIS IN CONTRITIONE NECESSARIIS,  
 ET PARABOLA VITULI SAGINATI.

E2\_35 v.1 Felices lacrimae, felix medicina doloris,  
 2 quae nos Tartareis eripuistis aquis !  
 3 E patria profugis longo post tempore nobis  
 4 egregiam reditus contribuistis opem.  
 5 Nos procul externis mendici erravimus agris,  
 6 porcorum immundas turpiter inter haras.  
 7 Ecce Pater nobis vitulum redeuntibus offert ;  
 8 Anulus offertur, purpura picta datur.  
 9 Pulsantur citharae, inflatur sambuca sonora ;  
 10 fervet odoratis aula superba cibus.  
 11 Qualia sidereis agitantur gaudia regnis,  
 12 si peccatorem poenituisse vident !  
 13 Tartara daemonibus, nobis debetur Olympus,  
 14 Dum modo ne vitiis impediatur iter.  
 15 Et dubitamus adhuc caelum praeponere terrae,  
 16 et brevibus lacrimis praemia tanta sequi ?

## VITA BREVIS, PRAEMIA ET POENAE SUNT AETERNAE.

E2\_36 v.1 Vita vapor brevis est, tenuique simillima fumo :  
 2 mane aetas prima est, ultima vesper erit.  
 3 Quo poteris vitae praesentis amore teneri ?  
 4 Non patria hic nobis, sed peregrina domus.  
 5 Cum sit vita brevis, brevis est conflictus habendus,  
 6 At meritis posuit praemia longa Deus.

CONTRA CALUMNIANTEM OPUS SUUM, QUOD SCRIBAT RES INUSITATAS,  
EPIGRAMMA.

E2\_37 v.1 Me tristem hyppocritam carpis, quia crimina damnem,  
 2 nilque velim nostris scribere turpe libris :  
 3 "Non sic Aurelius vates epigrammata fecit :  
 4 lascivum salso felle retersit opus".  
 5 Haec ais, et rides nostros redolere libellos  
 6 Ecclesiam, et nimia simplicitate rudes.  
 7 Nos sumus electae gentes, nos sacra propago :  
 8 scribere lascive credimus esse nefas.  
 9 Ipse Plato jussit teneros procul esse poetas ;  
 10 corrumpunt mores turpia verba bonos.

## CONTRA SUPERBIENTEM DIVITIIS ET HONORE CIVILI.

E2\_38 v.1 Qui nunc divitiis et honore inflatus inani  
 2 incedis, nescis quis tibi finis erit ?  
 3 Pone, precor, fastum et regum monimenta revisas :  
 4 inmundus tantum pulvis et ossa jacent.  
 5 Hi quoque regnarunt ! Solum vix nomina restant ;  
 6 in cinerem vertit corpora longa dies.  
 7 Heus, ubi mollities, ubi pluma, ubi purpura nunc est ?  
 8 Propinat roseus quis sibi vina puer ?  
 9 Putria nunc sordent foetentibus ossa sepulchris,  
 10 ast animae ignitis excruciantur aquis.  
 11 I, nunc, tolle animum ; talis manet exitus et te !  
 12 Quid nisi vermiculus, quid nisi pulvis, homo, es ?

## QUI AMAT DEUM, COETERA MUNDI CONTEMNIT.

E2\_39 v.1 Siquis inexpliciti genus innarrabile Christi  
 2 cogitet, et quanta nos charitate fovet,  
 3 crederet esse lutum gemmas, contemneret aurum  
 4 et, praeter Christum, vilia cuncta putet.  
 5 Omnia consumit saeculis labentibus aevum,  
 6 at Christi aeterno tempore durat amor.

## CONTRA ILLOS QUI CUPIUNT OMNIA BONA HABERE, EXCEPTIS VIRTUTIBUS.

E2\_40 v.1 Uxorem natosque bonos, bona praedia velles ?  
 2 Laudo. Bonae vestes et bona vina placent ?  
 3 Cuncta bona exoptas, cum sis malus ; hoccine monstrum est  
 4 quod tibi veste tua vilior esse velis ?  
 5 Atria tota nitent, sine pulvere vestis et aurum est ;

6 mens maculis squallet, mens sine honore jacet.  
 7 At soli sibi vilis homo est, sibi saevus et hostis,  
 8 qui nullam curam mentis habere velit.

JUGUM CHRISTI EST SUAVE ET AMOR DULCISSIMUM.

E2\_41 v.1 Dulce jugum Christi, quem non impellat amare ?  
 2 Ferreus est Domini quisquis amore caret.  
 3 Curarum jucunda quies, mitissime Christe,  
 4 qui te non sequitur, semper iniquus erit.  
 5 Spes et certa salus et nostrae gloria vitae,  
 6 te sine mors gravis est, te sine dulce nihil.  
 7 Tecum Tartareas malle penetrare sub undas,  
 8 quam sine te celsa sede manere poli.  
 9 Tu veniam lapsis praebes numquamque, rogatus,  
 10 sprevisi lacrimas, nec pia vota rei.  
 11 Quin immo hortaris peccatoremque morando  
 12 daemonis e laqueis ad tua castra trahis.  
 13 Quare agite, o, Dominum cuncti cognoscite Christum,  
 14 qui brevibus meritis praemia longa dabit.

QUOD DEUS OMNIA VIDET ET NIHIL RELINQUIT IMPUNITUM.

E2\_42 v.1 Est praesens et ubique Deus, nil linquit inultum  
 2 quodque fit in tenebris, judicat ille die.  
 3 Quid, miser, exsultas ? Non dum lux ultima venit ;  
 4 poena solet longis saevior esse moris.  
 5 Compensat gravitate moram Deus ; odit inertes,  
 6 facturos qui se cras meliora ferunt.

OMNIA SUNT CADUCA IN VITA PRAESENTI, EXCEPTA ANIMA, QVAE EST IMMORTALIS.

E2\_43 v.1 Haec, quicumque vides, tenuem vertentur in auram,  
 2 consumpta in cinerem vertet et atra dies.  
 3 Quid juvat, heu, frustra tanto indulgere labori ?  
 4 Sola anima aeterna est solaque morte caret.  
 5 Quaerit avarus opes, cupit ambitiosus honores ;  
 6 in Venerem hic putris, deditus ille gulae est.  
 7 Nonne furor magnus, non haec dementia summa est,  
 8 ut credas aurum vilius esse luto ?  
 9 Quid potes aequiperare animae ? Non sidera caeli,  
 10 et siquid caelo pulchrius esse potest.  
 11 Quam formosa animae est species, caelestis imago !  
 12 Et tamen hanc multi labe perire sinunt.

CONFESSIO PURGAT ANIMAM AEGRAM UT MEDICINA CORPUS AEGROTUM.

E2\_44 v.1 Saucius ecce animus letali daemonis ictu :  
 2 ni tribuas subito jam morietur opem.  
 3 Rumpe moras ! Medicina brevis facilisque paratur ;  
 4 fando, humilis, medico vulnera pande tua.  
 5 Aegrotat corpus fitque insanabile vulnus :  
 6 nequicquam medicam sollicitamus opem,  
 7 nequicquam medico multum promittimus auri,



8           nec spes, vicina morte, recedit adhuc.  
 9           Omnem animi morbum confessio libera sanat :  
 10          junctior efficitur quam fuit ante Deo.  
 11          Exuviis qualis positus novus emicat anguis,  
 12          sic animus, lota sorde, nitere solet.

EXULTATIO DE LIBERATIONE A CAPTIVITATE DIABOLICA.

E2\_45    v.1       Nubila nequitiae flatus pepulere secundi ;  
           2        laeta serenato gaudia corde gero.  
           3        Ecce, ego victor ovans Crucifixi ad castra revertor ;  
           4        ecce, jacet stratus perfidus hostis humi,  
           5        qui mea tam validis nodarat colla catenis  
           6        calcaratque suo pectora nostra pede.  
           7        Disruptis vinclis effugimus, hoste perempto :  
           8        non ego, sed Christi gratia summa Dei.  
           9        Nunc mea victrices circumdate tempora lauri ;  
           10       vicimus : ecce, hostis fusus ubique jacet !  
           11       Non ita depulso poeno captoque Syphace  
           12       gavisa est Phrygii Roma superba Remi,  
           13       quam mea delictis prorsus mens gaudet abactis  
           14       quodque suo et rursus conciliata Deo.

QUI REUS EST UNIUS PECCATI, FELIX ESSE NON POTEST.  
 DEUS TOTUM CONDONAT AUT NIHIL.

E2\_46    v.1       Esse sibi annexas virtutes asseris omnes ?  
           2        Confiteor ; pariter crimina nexa puto.  
           3        Sobrius es ? Laudo. Nullaque cupidine tactus ?  
           4        Commendo. Nec te tangit avara sitis ?  
           5        Admiror, fueris quod judex omnibus aequus.  
           6        Signa haec egregii quis neget esse viri ?  
           7        Ah, cur in fratrem livore urgeris iniquo ?  
           8        Hoc unum carpo, cetera laudo tui.  
           9        Destruit ut pulchram tenuissima rima carinam,  
           10       sic animae formam destruit una nota.  
           11       Aut nihil aut totum condonat Christus, et unum  
           12       quod residet crimen, destruit omne bonum.

QUOD NEMO LAEDITUR NISI A SE IPSO,  
 ET LIBERA VOLUNTAS NON POTEST A DEO COGI.

E2\_47    v.1       Quis sibi non hostis ? Quis non contraria quaerit ?  
           2        Peccati quis non est sibi causa sui ?  
           3        Nemo hostis, nisi quisque sibi, nec laeditur ulli ;  
           4        esse potes servus, liber et esse potes.  
           5        Servus erit quicumque malus ; sine crimine, liber ;  
           6        stat bonus arbitrio vel malus esse suo.  
           7        Quid fata accusas ? Urgetur nullus ab astris ;  
           8        imperii voluit te Deus esse tui.  
           9        Terreat ipse licet dolor et lasciva voluptas,  
           10       et gemino tamquam pressus ab hoste tremas,  
           11       At regina tamen moderatur sceptris voluntas  
           12       arbitrioque suo subdita cuncta regit.

QUI DIVINA SPECULATUR, CONTEMNAT HUMANA.

- E2\_48 v.1 Incidit in puteum Thales, dum suspicit astra :  
 2 non tamen ingenii fama maligna sui est.  
 3 Threspa licet carpat, sapiens tamen ille vocatur ;  
 4 despiciat terram, qui cupit astra sequi.  
 5 Hoc quoque testatur sententia clara Platonis,  
 6 ut sapiens in agris vivat, ab urbe procul.

QUI VULT EFFICI DIVES, DIMINUAT CUPIDITATES.

- E2\_49 v.1 Dives eris vivesque agris contentus avitis,  
 2 dum modo ne fines transgrediare patris.  
 3 Injustus fies et avarus plura petendo :  
 4 nulli divitiis imposuere modum.  
 5 Vis fieri dives ? Depelle cupidinis ignem ;  
 6 nam, quaerens semper plurima, pauper eris.

OMNIA FECIT DEUS PROPTER HOMINES,  
 HOMINIS ANIMAM PROPTER SE. NON EST DEUS AUCTOR VITII,  
 SED PERVERSA VOLUNTAS HOMINIS, CUM DEUS SIT FINIS.

- E2\_50 v.1 Ordine cuncta suo finem direxit ad unum :  
 2 propter nos fecit cuncta elementa Deus,  
 3 astra quoque et pisces maris atque animantia terrae ;  
 4 servavit solos nos Deus ipse sibi.  
 5 Cur, scelerate, Deum auctorem causamque malorum  
 6 accusas ? Auctor nullius ille mali est.  
 7 At tua peccati causa est perversa voluntas :  
 8 quoque magis peccas, longior ipse Deo es.  
 9 Quippe Dei sedes animas dixere beatas ;  
 10 quo magis es mundus, junctior ipse Deo es.

CONTRA PIGRUM, OSTENDENS VELOCITATEM TEMPORIS.

- E2\_51 v.1 Labitur, heu, tempus numquamque revertitur hora  
 2 quae modo praeteriit ; quod loquor, ecce, fugit.  
 3 Quid cessas ? Disperge moras ! Mors instat et urget :  
 4 cui notum est unum vivere posse diem ?  
 5 Surge, piger, tandem, cui cras est longius anno ;  
 6 fac hodie, quoniam cras moriere, miser.

AD POLYMNIAM MUSAM IN PANNONIAM PROFICISCENTEM,  
 UT HIERONYMUM DE TERMO VIRUM ERUDITISSIMUM CONVENIAT  
 ET SUO NOMINE SALUTET.

- E2\_52 v.1 Ire placet postquam tam clari ad principis aulam,  
 2 accipe sint a te quae peragenda prius.  
 3 Doctorum invenies illic, Polyhymnia, coetum,  
 4 qui te discutiet : "Qualis et unde venis ?"  
 5 Errores minimos suspensa lance notabit ;  
 6 quod si te explodet, quis tibi tutor erit ?  
 7 Hieronymi Termi prius in penetralia tendas ;

8           isti commendes teque tuumque librum.  
9       Hic est Argivae et Romanae gloria linguae ;  
10          hic Musis laetus fautor et hospes erit.

### EPIGRAMMATUM LIBER TERTIUS.

E3\_01   v.1    Principis invicti victricia signa Mathyae  
2           scribimus : huc assis, Calliopea, precor.  
3       Hic, licet Odrysiis semper versetur in armis,  
4           Pieridum sacros fertur amare choros.  
5       Christicolum clipeus Turcorum impervius armis,  
6           magnanimi superat fortia facta patris.  
7       Hostiles acies dirumpit fulminis instar ;  
8           hunc tremit invictus Turcus, ut agna lupum.  
9       Pannonia, exsulta felix sub principe tanto ;  
10          producunt talem saecula rara ducem.

AD LIBRUM SUUM,  
UT DOMINUM PETRUM ARCHIDIACONUM STRIGONIENSEM CONVENIAT,  
ERUDITISSIMUM VIRUM, POETAE AMICUM.

E3\_02   v.1    Illyricos penetrare sinus, per Norica saxa  
2           Pannonias arces, parve libelle, petis.  
3       Strigoniense decus Petrum prius ore salutes,  
4           qui prosa pariter, carmine quique valet.  
5       Quem nostra erudiit mecum Florentia mater,  
6           hunc adeas ; tectis accipiere suis.  
7       Etruscae memor urbis erit veterisque sodalis ;  
8           ad regem gressus diriget iste tuos,  
9       ut non incassum per mille pericla labores  
10          tot tibi tam longa sumpseris ipse via.

CONTRA LASCIVOS POETAS INVENTORES TURPIUM FABELLARUM DEORUM,  
LICET FIGMENTO ALIUD SENSERINT

E3\_03   v.1    Proh scelus infandum ! Veteres finxere poetae  
2           diversa inter se numina multa deum :  
3       lascivumque Jovem furemque Atlantide cretum  
4           et Phoebi plures clam rapuisse boves,  
5       Saturnumque patris secuisse virilia Caeli  
6           et pulsum nato terga dedisse Jovi,  
7       bellantesque deos caelo discordibus armis :  
8           quodque nefas homini est, id tribuere deis !  
9       Ah, quantum nocuit mendosa licentia vatum !  
10          Hinc omnis labes causaque nata mali est.  
11       Non omnes docti possunt aenigmata nosse :  
12          pro veris vulgo fabula ficta fuit.  
13       Aut si vera Jovis Cretensis facta fuerunt,  
14          turpia non melius conticuisse fuit,

15 quam mores juvenum exemplo corrumpere divum ?  
 16 Et declive malum est perfacilisque via est.  
 17 Nos sumus in vitium proni, et mala saepe cohaerent ;  
 18 non decet obscenis texere honesta jocis.

QUOD NON MUNERIBUS SED MUNDO CORDE PLACETUR DEUS.

E3\_04 v.1 Tene Deum placare putas et fallere donis  
 2 credis et immunda mente placere Deo ?  
 3 Quid frustra niveo condis de marmore templum  
 4 plurimaque ante aras victima caesa cadit ?  
 5 Ni prius ex animo sordes et crimina mundes,  
 6 dona precesque tuas respuet ipse Deus.  
 7 Gratia cum culpa non sedibus haeret in hisdem :  
 8 obscurat niveas sepia nigra togas.  
 9 Nil opus est auro qui continet omnia pugno  
 10 quique movet digito sidera cuncta suo.  
 11 Sinceram mentem numquam contempsit egeni ;  
 12 ipse animus purus victima grata Deo est.

QUOD PERJURIUM SIT GRAVISSIMUM PECCATUM ET A DEO GRAVITER PUNIATUR.

E3\_05 v.1 Falleris, infelix ! Rides perjuriam, rides :  
 2 testene mentitum non pudet esse Deo ?  
 3 Tunc Deum sceleris testem, perjure, vocasti ?  
 4 Ah, nescis quae te, perfide, poena manet ?  
 5 Non ego deceptus ; facti Deus ultor iniqui est ;  
 6 ulcisci gravius vix solet ille nihil.  
 7 Et merito damnant omnes perjuriam leges :  
 8 quod magis offendant nil reor esse Deum.  
 9 Fas et jura volunt cordis quod lingua sit index ;  
 10 crede mihi, est ipso turpis in hoste dolus.

DE SACRAMENTO CORPORIS CHRISTI.

E3\_06 v.1 Quisquis inexpliciti sacramentum noscere Christi  
 2 corporis, hic guttas vult numerare maris,  
 3 et totum Oceanum parva concludere fossa  
 4 et caelum pugno continuisse suo.  
 5 Mens stupet, ob magnam caligant lumina lucem,  
 6 quippe infinitum parva bucella tenet.  
 7 Totus et in tota est ac parte est integer omni ;  
 8 fit panis verbis quinque bucella Deus.  
 9 Desinite, haeretici, rationem inquirere : solum  
 10 ad vitam aeternam sufficit alma fides.

NIHIL EST DEO OCCULTUM : SOLUS DEUS EST SCRUTATOR CORDIS.  
 TESTES ANGELUS ET DAEMON OPERUM NOSTRUM ;  
 GESTA IN TENEBRIS, IN LUCEM JUDICABUNTUR.

E3\_07 v.1 Quid facis, infelix ! Latebris te credis inultum ?  
 2 Omnia nuda Deo nilque latere potest ;  
 3 intima quin etiam nescit praecordia mentis,  
 4 quaeque animo volvis te prior ille videt.

5 Angelus ac daemon testes tua crimina dicent :  
 6 vel minima ante thronum sunt referenda Dei.  
 7 Nil prius hic labem culpae deleveris omnem,  
 8 tunc cum daemonibus poena perennis erit.

RESURRECTIO CHRISTI RATIONE NATURALI PROBARI NON POTEST,  
 SED FIDES EST POTENTIOR OMNIUM PHILOSOPHORUM RATIONE

E3\_08 v.1 Alma fides Christi, ratione potentior omni,  
 2 vim cunctam exsuperat mentis et ingenii.  
 3 Discipuli Christum subeuntem limina portis  
 4 viderunt clausis et tetigere manus,  
 5 confossum tetigere latus ; quin mellis et assi  
 6 huic partem piscis contribuere cibum.  
 7 Surrexit vere, non hic simulatio vitae est :  
 8 sanguine phantasma et spiritus osse caret.  
 9 Talem siderea de nube videbimus omnes  
 10 iudicii extremi quando erit ima dies.

SI CAELESTES OPES INTUI POSSEMUS, HUMANAS CERTE CONTEMNEREMUS.

E3\_09 v.1 Stellantis siquis gemmata palatia caeli  
 2 aspiciat, terrae vilia regna putet ;  
 3 ceu quondam Paulus, longe super aethera raptus,  
 4 aurea sub pedibus viderat astra suis,  
 5 divitias ceu vile lutum contempsit et aurum :  
 6 aeternas animo concipiebat opes ;  
 7 sordidus ut pauper, subeat si regia tecta,  
 8 jam piget immundam rursus adire casam.

VITARE DEBEMUS JURAMENTUM, TANTO MAGIS PERJURIUM.

E3\_10 v.1 Si jurare malum est, ubi tu perjuriam pones ?  
 2 Et semper juras, nec sine teste Deo !  
 3 Esse solet mendax qui jurat sponte, nec umquam  
 4 creditur ; haec illos ultio prima manet.  
 5 Vera licet dicas, si jures, falsa putantur,  
 6 ni tu iudicio forte coactus eris.

QUI VULT ESSE BEATUS, OBSERVET PRAECEPTA DEI.

E3\_11 v.1 Qui praecepta Dei servaverit omnia, felix !  
 2 Is regum ingentes aequiperabit opes.  
 3 Hic sibi caelestem aedificat super aethera turrim  
 4 quae secura sibi quaeque perennis erit.  
 5 Quisquis amat Christum, discrimine tutus ab omni est.  
 6 Defendente Deo, quid nocuisse potest ?

CONTRA JACTATOREM ET HYPOCRITAM

E3\_12 v.1 Stoica verba sonas et virtus semper in ore est ;  
 2 incipias factis verba probare tuis !  
 3 Te similem citharae, ni feceris, esse sonanti

4           convincam ; factis consona verba canas !  
 5       Qui vult esse bonus, faciat, mox illa loquatur.  
 6           Sic Paulus fecit, fecit et ipse Jesus.  
 7       Si tibi lingua tuis fuerit contraria factis,  
 8           perfidiae poenas nequitiaeque dabis.

QUI VULT ESSE FELIX, FUGIAT MALUM ET FACIAT BONUM.

E3\_13   v.1       Esse cupis felix ? Facile est : sine crimine vivas.  
 2           Sic tibi, te praeter, nemo nocere potest.  
 3       Cetera cum possint aliunde irrumpere damna,  
 4           at sibi dum taxat criminis auctor homo est.  
 5       Libera perdurat nullo cogente voluntas  
 6           aurigaeque instar frena gubernat equi.

NIHIL EST VIRTUTE FORMOSIOR

E3\_14   v.1       Corporeis cernat virtutem siquis ocellis,  
 2           virtutem incipiet praeter amare nihil.  
 3       Tantus enim splendor formoso fulgurat ore,  
 4           ut mutas etiam cogat amare feras.  
 5       Ast animus noster, terrestri carcere saeptus,  
 6           terrestres sequitur, quis crucietur, opes.

CONTRA CALUMNIANTES OFFICIUM SCRIBAE, VELUTI MUSARUM CONTAGIUM

E3\_15   v.1       Quod sim Tyrrheni me carpis scriba Leonis,  
 2           dicis et Aonios me maculare choros :  
 3       "Otia Pierides, secessum quaerit Apollo ;  
 4           cur facis in medio carmina multa foro ?"  
 5       Quid faciam ? Nullus Maecenas, Pollio nullus  
 6           praemia nunc doctis vatibus ulla dedit.  
 7       Circumstant uxor, nati querulique nepotes,  
 8           et solito fiscus plura tributa petit.  
 9       Silius altiloquo cantavit proelia versu :  
 10           saepe tamen causas egit et ipse foro.  
 11       Nos quoque magnanimi ter quinque volumina Carli  
 12           et carae patriae scripsimus historiam.  
 13       Siquis Maecenas concederet otia, tunc me  
 14           aspiceres silvas praeposuisse foro.

OMNES LIBERTATEM ET PATRIAM AMISSAM RECUPERARE NITUNTUR,  
 EXCEPTA PECCATRICE ANIMA.

E3\_16   v.1       Quisquis ob invidiam patria procul exsul agatur,  
 2           ad reditum maestus permanet usque suum ;  
 3       exquirat solersque vias considerat omnes  
 4           antiquae ut repetat dulcia tecta domi.  
 5       Quid facient homines vitiorum pondere pressi,  
 6           si praeclusa fugam quaerere bruta solent ?  
 7       Ast anima aethereo dejecta ob crimina caelo  
 8           non curat reditum, sed fugitiva jacet.  
 9       Heu, quale amisit regnum, quam perdidit urbem,  
 10           libera ! Nunc atro carcere maeret inops.

## CONTRA SUPERBOS QUI PROPRIIS MERITIS CAELI HONOREM CONSEQUI CREDUNT.

E3\_17 v.1 Quis neget esse nefas caeli sibi poscere honorem  
 2 et proprio merito praemia tanta sequi ?  
 3 Hic fastus primum dejecit daemona caelo,  
 4 qui sibi delegit celso Aquilone thronos.  
 5 Participes tamen esse Dei regnique superni  
 6 possumus ; hoc Christi gratia magna dabit.  
 7 Quisquis amat Christum solum caeli incola fiet ;  
 8 rivalem patitur non Deus esse sibi.  
 9 Vult Deus ut nitido sit amans fulgentior auro ;  
 10 vel minimam Jesus respuit ille notam.

## CUR AMANTES PALLESCUNT ET IN REBUS AMATIS CONVERTUNTUR.

E3\_18 v.1 Scis quia pallet amans ? Alieno in corpore vivit.  
 2 Egremente anima, pectora pallor obit.  
 3 Et merito attonitum et sine sensu cernis amantem :  
 4 mens abit et sequitur semper amoris iter.  
 5 Vertitur omnis amans, mihi crede, in rebus amatis :  
 6 femina diligitur ? Femina amator erit.  
 7 Aurum diligitur ? Fulvum vertetur in aurum.  
 8 Diligitur Christus ? Christus amator erit.  
 9 Si vis ergo Deus fieri, vis incola caeli,  
 10 toto animo et tota dilige mente Deum.

## CUR RUS UGOLINUS PETAT, RELICTA URBE.

E3\_19 v.1 Inquiris causam, sociis atque urbe relictis,  
 2 cur villae aequoreae sordida tecta petam ;  
 3 me segnem vilemque vocas, industria cum sit  
 4 nota mea, atque urbis possit habere decus.  
 5 "Tunc armenta viris praeponis et urbibus agros ?  
 6 Non cives, sed erit rustica turba comes."  
 7 Ignoras ruris quam sit jucunda voluptas,  
 8 quam suave in silvis Calliopea canat.  
 9 Hic dictante mihi modulabor carmina Phoebos,  
 10 eripiet mentem cura nec ulla meam.  
 11 Et jam tempus adest victricia pandere bella  
 12 et Carlo extremam jam posuisse manum ;  
 13 prodire in lucem jam nostra epigrammata poscunt :  
 14 sunt prius in certos distribuenda libros.  
 15 Vix semel invitus Romam accedebat in anno  
 16 Campanis latuit cum Maro solus agris.  
 17 Musarum me raptat amor, non gloria vulgi ;  
 18 quasque omnes cupiunt, non ego miror opes.

## DE ACADEMIA, PLATONIS VILLA, ET EQUOREA VERINI.

E3\_20 v.1 Doctrinae officeret ruris ne blanda voluptas,  
 2 pestiferos sapiens Atticus emit agros,  
 3 discendi ut solo juvenes caperentur amore,  
 4 ut fieret frugum sobria vita magis.

5 Sic meruit felix aeternum Academia nomen  
 6 et nulli fama villa secunda fuit.  
 7 Aequeorea est nobis Caiano proxima colli  
 8 villa vetus, prisci, tecta paterna, lares,  
 9 quos rigat aeternis rivus gelidissimus undis ;  
 10 non hic Pegaseo nomen habere sinit.  
 11 Hunc ego crediderim et fama est, Helicone relicto,  
 12 Pieridum sacros nunc habitare choros.

CONTRA MALEDICUM ET ALIENA VITIA PERSCRUTANTEM.

E3\_21 v.1 Quam nimium cernis nitido procedere vultu,  
 2 ad moechum haec (subito) dirigit (inquis) iter.  
 3 Quae nullo faciem depinxit squalida fuco,  
 4 hypocritam carpis, nunc sine mente vocas.  
 5 Quae ridet, fatuam dicis ; si fronte severa est,  
 6 torva haec Caucaseae tigridis ora gerit.  
 7 Si loquitur, garrere putas ; sin rarius inquit,  
 8 silvestri damnas rusticitate rudem.  
 9 Vicinum an nescis vitium virtutibus esse ?  
 10 Quid non lingua potest carpere iniqua boni ?  
 11 Si renes solusque Deus praecordia noscit,  
 12 dic mihi, quo mens est indice nota tibi ?

DE LAUDIBUS SUI SAECULI ET DE INGRATITUDINE PRINCIPUM.

E3\_22 v.1 Artem nutrit honor cunctique cupidine laudis  
 2 contendunt primae sortis habere locum.  
 3 Debita virtuti si desint praemia, nullos  
 4 artibus invenies invigilare bonis.  
 5 Tam claris ornata viris nunc saecula cum sint,  
 6 cur dantur meritis dona minora suis ?  
 7 Nunc sunt philosophi insignes doctique poetae,  
 8 plurimus orator, plurimus historicus.  
 9 Cum saeculis nostris Augusti tempora cedant,  
 10 deficit Etruscis solus Etruscus eques.

DE PICTORIBUS ET SCULTORIBUS FLORENTINIS  
 QUI PRISCIS GRAECIS EQUIPERARI POSSUNT.

E3\_23 v.1 Protogenem Rhodii tabula mirantur in una :  
 2 vix annis illam pinxerat ille decem.  
 3 Nicomachus contra velox monimenta poetae  
 4 egregium parvo tempore fecit opus.  
 5 Parrhasiusque Ephesus sic mira excelluit arte,  
 6 Simitriae primum cui tribuere decus.  
 7 Hos olim multis produxit Graecia saeculis,  
 8 et paria ingeniis dona fuere suis.  
 9 At nunc pictores hujus si temporis omnes  
 10 vidisset, quanta hos Graecia laude canat !  
 11 Quos uno una parens genuit, Florentia, saeclo,  
 12 quos ausim Graeis aequiperare viris.  
 13 Sunt gemini insignes Pullo cognomine fratres,  
 14 quorum alter pictor, sculptor uterque bonus.  
 15 Spirantes fundit vultus Antonius aere



16 signaque de molli vivida fingit humo.  
 17 Nec minor est Phydia noster Verrochius : uno  
 18 hoc superat, quoniam pingit et aera liquat.  
 19 Quis fuerit sculptor nostra Donatus in urbe,  
 20 testantur nomen, vivida saxa, suum.  
 21 Nec Desiderio spiranti marmore major  
 22 Thebanus Scopas Praxitelesque fuit.  
 23 Aequare sibi non indignetur Apelles  
 24 Sandrum : jam notum est nomen ubique suum.  
 25 Heracleota licet Zeuxis bene pinxeris uvas,  
 26 haud tamen est Tuscus Vincius arte minor.  
 27 Nec te pictoris sobolem, memorande Philippe,  
 28 praeteream : primum dignus habere locum.  
 29 Sed longum numerare omnes, nec temporis hujus,  
 30 quorum cum tabulis fama perennis erit.

QUANTA SIT AVIDITAS REQUIRENDI DEUM.

E3\_24 v.1 Ut cervus sitibundus aquam fontemque requirit,  
 2 sic anima ad Christum nunc mea quaerit iter.  
 3 Arida ceu tellus caeli desiderat imbrem,  
 4 sic rorem exspectant arida corda Dei.

DEUS NON EST AUCTOR CULPAE IN ALIQUO, SED POENAE EXACTOR.

E3\_25 v.1 Crimina si justis punit Deus omnia poenis,  
 2 non igitur nostri criminis auctor erit.  
 3 Non culpa causa est, sed poenae acerrimus auctor ;  
 4 non mala, sed poenas exigit ipse Deus.

DE LAUDIBUS DANTIS ALDIGHERII FLORENTINI, POETAE PRAECLARISSIMI.

E3\_26 v.1 Quisquis inexpliciti divina volumina Dantis  
 2 pellegat, hoc dicet doctius esse nihil.  
 3 Quicquid Aristoteles, quicquid sacra pagina dicit  
 4 cantavit, Tusco disposuitque pede.  
 5 Virgiliumque aequat, prisco nec cedit Homero,  
 6 et mathematicis ille vel ille minor.  
 7 Salve, Tyrrheni decus immortale Leonis !  
 8 Salve, Pierii fama decusque chori !

IN LAUDEM FRANCISCI PETRARCAE, POETAE FLORENTINI ELOQUENTISSIMI.

E3\_27 v.1 Carmina facundi releget qui tersa Petrarcae,  
 2 dicet Pindaricos aequiperasse pedes,  
 3 torrentis de more ruat Cadmeius heros  
 4 et licet ingenti spiritus ore tonet.  
 5 Romano Romana pede et Carthaginis arma  
 6 scripsit, sed Tusco clarior ore nitet ;  
 7 primus et in lucem post annos mille Latinam  
 8 restituit linguam restituitque decus.

## DE MARSILIO FICINIO FLORENTINO, PLATONICO DOCTISSIMO.

E3\_28 v.1 Verterat aeternum Ficinius ipse Platona  
 2 in Latium ; nobis non satis istud erat,  
 3 ni silva e magna, perplexa aenigmata solvens,  
 4 in breviori libro disposuisset opus.  
 5 Inspexitque animum penitus mentemque Platonis  
 6 Ausoniisque viris ista legenda dedit.  
 7 Memphitici vertit divina volumina vatis  
 8 vix juvenis ; jam tunc nomine clarus erat.  
 9 Fecit et egregium de religione volumen,  
 10 convincens Christi vera fuisse sacra.  
 11 Scribit adhuc longumque extendit nomen in aevum ;  
 12 fama perennis erit, sit sibi longa dies.

## AD CHRISTOPHORUM LANDINUM, POETAM ET RHETOREM FLORENTINUM INSIGNEM.

E3\_29 v.1 Insignis rhetor lingua, Landine, canora,  
 2 ceu patri debet nostra juventa tibi.  
 3 Fidus es interpres vatum, Landine poeta ;  
 4 in dubio prosa promptior anne pede es.  
 5 Explicuit nobis obscura volumina Dantis  
 6 aeternaeque animae nobile fecit opus.  
 7 Explicuit Flaccum et magni figmenta Maronis,  
 8 et scripsit lyrico carmina multa pede,  
 9 et teneros elegos scripsit de more Properti,  
 10 quis Sandrae nomen notius est Helene.  
 11 Pieridum, Landine, decus, tibi Nestoris annos  
 12 exhibeat vacuis Parca benigna colis.

## AD AMICUM, QUO PACTO VALITUDINEM CONSERVET.

E3\_30 v.1 Qui superare cupis Cumaeae secula vatis  
 2 Parcarumque omnes evacuare colos,  
 3 immites numquam arrodant tua pectora curae ;  
 4 sit modicus somnus, sit tibi rara Venus.  
 5 Nil nimium cupias ; epulis sit mensa modestis ;  
 6 non externa tuam temperet uva sitim,  
 7 sed modica et mixta et nostris in montibus orta.  
 8 Non caro, sed faciles praebeat herba dapes.  
 9 Ad plenum numquam ventrem saturabis hiantem :  
 10 ponatur stomacho sarcina parva tuo.  
 11 Otia vitabis nimis enervantia corpus ;  
 12 et nimius laedit corpora fessa labor.  
 13 Sis laetus, pestem fugias, serusque redibis ;  
 14 Neve gulam irrites : sit coqus ipsa fames.  
 15 Effugiant auram sudore madentia membra :  
 16 namque coit laesus frigore saepe cruor.  
 17 Haec faciens, vinctes longaevi Nestoris annos ;  
 18 vix solvet corpus longa senecta tuum.

## AD BERNARDUM ADIMARIUM AMICISSIMUM.

E3\_31 v.1 Adimar, electos inter numerande sodales,  
 2 accipe Verini carmina pauca tui.

3 Ne doleas ad te quod raro epigrammata mittam ;  
4 da veniam nobis : scribis et ipse nihil.

AD BERNARDUM ADIMARIUM,  
DE COMMODITATIBUS JUVENUM SUI TEMPORIS AD STUDIA HUMANITATIS.

E3\_32 v.1 Si nunc tam claros cernis, Bernarde, poetas,  
2 non mirum, si nunc cernis et historicos.  
3 Oppida Cecropidum prisca petiere Quirites,  
4 discere Socraticos cum voluere libros  
5 et linguam Graecam et magnos cognoscere vates,  
6 et quicquid Graii composuere viri.  
7 Romani juvenes didicere in Pallados urbe ;  
8 exhibuit doctos rhetoras ipsa Rhodos.  
9 At divum ritus et sacri fulminis artes,  
10 Attica Syllanidum verba propago refert.  
11 Non opus est Graias nostris petere amplius urbes ;  
12 doctrinis variis hic vigilare licet.  
13 Est hic Landinus magnique interpres Homeri,  
14 Musarum aeternus Politianus honor,  
15 rhetor et insignis facundo Fontius ore,  
16 Marsiliusque hic est, alter et ipse Plato.  
17 Est hic Demetrius doctis oriundus Athenis,  
18 enodans quicquid scripsit Aristoteles.  
19 Ni tibi defueris, Syllae generosa propago,  
20 Romanos poteris aequiperare patres.

DE INGRATITUDINE HOMINUM ADVERSUS DEUM.

E3\_33 v.1 Firmavit terram Deus atque extendit Olympum ;  
2 ornavit miris rebus utrumque locum.  
3 Arboribus sua poma dedit, sua gramina campis  
4 aridaque infusis arva rigavit aquis.  
5 Plurimaque accendit sublimi lumina caelo,  
6 esset ut alterna lampade clarus apex.  
7 Mensque data est homini cunctis praestantior astris ;  
8 namque animus vera est noster imago Dei.  
9 Omniaque imperio nostro parentia fecit  
10 subjecitque hominum sub pede cuncta Deus.  
11 Nos tamen ingrati, post munera tanta recepta,  
12 ulterius petimus praemia plura dari.

QUI SE NON ODIT PROPTER CHRISTUM ET NON EST MUNDUS,  
FELIX ESSE NON POTEST.

E3\_34 v.1 Ille mihi felix ac rege beatior omni est,  
2 qui corde et puro diligit ore Deum.  
3 Qui se non odit Crucifixi propter amorem,  
4 ille mihi indignus visus amore Dei est.

DEBET HOMO NON TAMQUAM MERCENNARIUS,  
SED TAMQUAM FILIUS PATRI AETERNO & SERVIRE ET PARERE

E3\_35 v.1 Quid dicis, quid, ineptus homo ? Quid munera poscis ?

2           Servili nati condicione sumus,  
 3   serviat ut Domino et Christi praecepta sequatur ;  
 4           aeterni servum sit satis esse Dei.  
 5   "Munera magna Deus dabit" inquis "et incola fiam  
 6           mox caeli" ; meritis non dabit ista tuis !  
 7   Magnificus veluti, non quod mereamur habere,  
 8           rex famulis fidis maxima dona dabit.  
 9   Non viles servos, sed pignora cara vocavit,  
 10           fecit et haeredes participesque sui.

QUI SERVIT ALICUI MERCEDE ET NON AMORE, NON EST DIGNUS AMARI AB EO.

E3\_36   v.1       Qui non mercedis studio, sed amore placendi  
 2           obsequitur, domino carior ille suo est.  
 3   Majorique Deus reddet sibi fenore fructum ;  
 4           praemia perspecta multiplicata fide.

NON DEBEMUS PERSCRUTARI ARCANA JUDICIA DEI,  
 MURMURANTES DE FELICITATE IMPROBORUM.

E3\_37   v.1       Quid quereris ? Cur saepe negas mortalia curae  
 2           esse Deo ? Videas cum mala multa bonis,  
 3   attollique malos cernas in culmine rerum  
 4           depressosque bonos ? Respicit ista Deus.  
 5   Unde nefas tantum audaci prorumpit ab ore,  
 6           judicium ut tentes, improbe, nosse dei ?  
 7   Tu vilis vermis, tu parvus homuncio cum sis,  
 8           arcana inquires, ambitiose, Dei ?

AD FRANCISCUM AMICUM, CUPIENTEM SCIRE CAUSAS INUNDATIONIS NILI.

E3\_38   v.1       Memphiticis nuper veniens Franciscus ab oris,  
 2           Niliacae causam scire volebat aquae :  
 3   "Cur tegitur Nili Aegyptus stagnantibus undis,  
 4           illic si nullis imbris arva madent ?"  
 5   Cum rapidus torret flavescentes Syrius agros,  
 6           Aethiopum num tunc intepuere nives ?  
 7   Aethesiis numquid velut obice flantibus amnis  
 8           auctus, limosis omnia replet aquis ?  
 9   Antipodumne imis bruma caput exserit oris  
 10           aestatisque ad nos tempore portat aquas ?  
 11   Veri causa latet ; nemo vidisse fatetur  
 12           caelestis fluvius traxerit unde caput.

DE INIQUO JUDICIO PYTHII APOLLINIS INTER DORILAUM ET ARCHELAUM.

E3\_39   v.1       Quem bello Dorilaus Spartanus coeperat agrum,  
 2           hunc sibi respondens jussit Apollo dari.  
 3   Archelaus partem praedae campique petebat ;  
 4           arbiter at partem Phoebus utramque petit.  
 5   Hoc aliquis nostrum si dixerit, improbus esset ;  
 6           sed, postquam fecit Pythius, ergo placet.

## DE NEQUITIA JOVIS CRETENSIS, QUEM STULTA GENTILITAS REGEM DEORUM COLUIT.

E3\_40 v.1 Formosum ut vidit Ganymedem Jupiter Ida,  
 2 hunc aquilae raptum vexit ad astra pede,  
 3 submotaque Hebe multumque fremente sorore  
 4 pincernam hunc fecit participemque tori.  
 5 Agnovit Ledam sub pennis moechus oloris ;  
 6 in Danae fulvo decidit imbre sinum.  
 7 Nil agis, Acrisii : custodes, moenia, turres  
 8 vincit et armatos aurea virga duces.  
 9 Europam torvi rapuit sub imagine tauri :  
 10 pars orbis stupro tertia nomen habet !  
 11 Saturnumque patrem regno, crudelis, abegit :  
 12 et Superum rector dicitur atque pater.  
 13 Tantane mortales tegit ignorantia veri  
 14 ut parricidae sint data templa Jovi,  
 15 ut veteres regem terrae caelique putarint  
 16 qui tam deformi crimine notus erat ?  
 17 Non scelus hoc ingens, non est dementia summa,  
 18 quod sit turpe viris, id dare caelicolis ?

## CETERI DII FALSI SUNT ; SOLUS CHRISTUS EST VERUS ET UNICUS DEUS.

E3\_41 v.1 Ob galeam inventamque hastam, coluere Pelasgi  
 2 Pallada, divinum ceu docuisset opus.  
 3 Mars quia bellipotens evertat funditus urbes,  
 4 sunt illi in multis templa dicata locis.  
 5 Arcades insignem coluere Atlantida furtis ;  
 6 primitias Veneri cypria virgo dabat.  
 7 Quid tibi Sarmaticae narrem fera sacra Dianae ?  
 8 Grata deae fuerat victima caesus homo.  
 9 Quid tibi mille deos referam ritusque sacrorum ?  
 10 Invenere suum crimina quaeque deum.  
 11 Plurima quid narrem stulti portenta Canopi,  
 12 cui taurus numen, cui cocodrillus erat ?  
 13 Affulsit tandem Christi mortalibus astrum,  
 14 ostendens vera religione Deum.

## NUDI NASCIMUR ; NIHIL HINC REPORTABIMUS.

E3\_42 v.1 Tu nihil huc nascens materno e ventre tulisti,  
 2 et nihil hinc alio, cum moriere, feres.  
 3 Nudi nascuntur, nudi morientur et omnes ;  
 4 quas tenet obsessas quisque relinquet opes.

## SUMUS HIC PEREGRINI, ET NEMO PERDIT QUOD NON HABUIT.

E3\_43 v.1 Quid fles, quid quereris ? Patriis procul exsul ab oris,  
 2 te miseram externam quaerere dicis opem.  
 3 An patria hic ulla est ? Peregrini huc nascimur omnes !  
 4 Quod non accepit, perdere nemo potest.  
 5 Qui praesentis amat fugientia gaudia vitae,  
 6 aeternae patriae hic hostis et exsul erit.

IGNAVI PRINCIPIS IMPOSSIBILE EST  
NON ESSE MILITES ET SERVOS PIGROS ET DESIDES.

E3\_44 v.1 Numquam alacer servus domini reperitur inertis ;  
2 ignavi an miles principis acer erit ?  
3 Qualescumque ducis mores sunt, turba sequetur ;  
4 injusti domini servus iniquus erit.  
5 Majora exspectent proceres tormenta rapaces,  
6 exemplis populo qui nocuere suis.

NIHIL VIOLENTUM EST PERPETUUM, ET PECCATI SEMPER EST FINIS PESSIMUS.

E3\_45 v.1 Non est, crede mihi, violenta potentia longa  
2 criminaque eventum non habuere bonum.  
3 Principiique mali peior solet exitus esse ;  
4 peccatum felix non solet esse diu.  
5 Esse solet major casus de montibus altis,  
6 et ducibus raro mors sine caede fuit.

IN MALEDICUM QUI PUTABAT REM FACILEM ESSE POETAM BONUM.

E3\_46 v.1 Esse putas parvi ingenii componere versus ?  
2 Non nego, sed magni est scribere multa bene.  
3 Egregius vates multum sudavit et arsit ;  
4 abstinuit Baccho, vix sibi nota Venus.  
5 Saepe vigil totam scribendo carmina noctem  
6 ducit ; pro molli bibliotheca toro est.  
7 Non est vendibilis, non mercenaria virtus  
8 est poesis ; solum praemia fama datur.  
9 Invigilant studiis nulli, si praemia demas ;  
10 munere sublato, non juvat ipse labor.

AD AMICUM, NE SUPERBIAT PROSPERA FORTUNA.

E3\_47 v.1 Si tibi nunc vultu arridet fortuna sereno,  
2 cras forsan pluviam nubilus Auster aget.  
3 Deponas fastum ! Nulli est fortuna perennis :  
4 motat enim alternas, irrequieta, rotas.  
5 Vidi ego post longam consurgere bella quietem,  
6 bellorum et finis pax quoque saepe fuit.  
7 Aeque animo sortem fortis tolerabit utramque ;  
8 Solonis memori pectore verba tene.

NIHIL EST JUCUNDIUS AMICITIA, CONSERVATRICE HUMANAЕ SOCIETATIS.

E3\_48 v.1 Siquid amicitia credis jucundius esse,  
2 falleris : humani est foederis una fides.  
3 Quisquis amicitiam tollit, civilia bella  
4 seminat ; hic odii saeva venena parit.  
5 Quid tu jucundo potes aequiperare sodali,  
6 quo sine nil poterit dulcius esse tibi ?  
7 Tu veterem et fidum spernis, crudelis, amicum,  
8 et cum fortuna vertis amicitiam !

## AD DEMETRIUM ATTICUM PHILOSOPHUM.

E3\_49 v.1 Demetri, Argivae pereuntis gloria linguae,  
 2 Etruscam pubem non sinis esse rudem.  
 3 Per te jam Graiae loquitur Syllana juvenus ;  
 4 Cecropium nostra surgit in urbe decus.  
 5 Ipse, licet Danaum subverterit oppida Turcus,  
 6 et quamquam obruerit tot monumenta virum,  
 7 diluvio tamen ex illo ceu naufragus ad nos  
 8 venisti : non dum Graecia tota perit.  
 9 Romani cecidere duces Geticoque furore  
 10 per septem jacuit Martia Roma dies.  
 11 Romanum eloquium nullae evertere procellae ;  
 12 sed quae doctrinae vis nocuisse potest ?  
 13 Tu quoque divini interpret facunde Platonis,  
 14 enodas quicquid scripsit Aristoteles.  
 15 Et merito exsolvit Tuscus salaria fiscus,  
 16 virtuti ut dentur praemia digna tuae.  
 17 Desine subversae patriae deflere ruinam ;  
 18 noster eris : patria est quaelibet ora bonis.

EPITAPHIUM THEODORI GAZIS ATHENIENSIS,  
 GRAECI AC LATINI SERMONIS PARITER DOCTISSIMI.

E3\_50 v.1 Hic situs est Gazes Theodorus, gloria linguae  
 2 Graiorum, pariter Romulidumque decus.  
 3 Traduxit nullus facundior ore diserto,  
 4 Socraticos faciens verba Latina libros.  
 5 Interpret fidus, sermonem norat utrumque ;  
 6 non alter terso doctior ore fuit.

AD MARIANUM POMICELLUM HEREDITAM AUGUSTINENSEM,  
 ELOQUENTISSIMUM AC SANCTISSIMUM VIRUM.

E3\_51 v.1 Tarsensis sequeris magni vestigia Pauli,  
 2 eloquio populis dum, Mariane, tonas.  
 3 Tu quoque Thebaeum Paulum sectaris : utroque  
 4 diversae vitae fungeris officio.  
 5 In silvis monachus sis quamquam Antonius alter,  
 6 vita illic soli proderit ista tibi.  
 7 Quod si tu crebro medias accesseris urbes,  
 8 profueris multis profuerisque tibi.

## AD EUNDEM MARIANUM.

E3\_52 v.1 Exhorrent versus quidam carpuntque poetas  
 2 et tristi damnant nostra supercilio.  
 3 Tu vero instar apum per prata virentia vatum  
 4 de flore innumero dulcia mella legis.

AD LIBRUM SUUM,  
UT FRANCISCUM BRISCENSEM, MEDICUM REGIS MATHYAE, CONVENIAT,  
QUI DEDUCET EUM AD REGEM

E3\_53 v.1 Fessus ab Etruscis Budam cum finibus hospes  
2 intraris, subito regia tecta petes.  
3 Sed prius inquires Francisci limen et aedes  
4 Briscensis medici, qui tibi fidus erit.  
5 Non illis alter medicus praestantior oris  
6 fertur, cui regis credita saepe salus.  
7 Hic faciles aditus et mollia tempora regis  
8 sedulus ostendet, parve libelle, tibi.

EPIGRAMMATUM LIBER QUARTUS.

AD DOMINUM FRANCISCUM, FERDINANDI REGIS FILIUM.

E4\_01 v.1 Francisce, Arragonum soboles pulcherrima regum,  
2 Romanos leta pellege fronte sales.  
3 Nostra licet veteres non aequent carmina vates,  
4 moribus at cedit prisca Thalia meis.  
5 Nos sumus electae gentes, nos sancta propago :  
6 non decet obscenis scribere sacra modis.  
7 Scripsi more novo, nullorum exempla secutus ;  
8 da veniam, haud mirum est siqua nitore carent.  
9 Magnanimo regi, qui Christi est cultor et ensis,  
10 debuerant Christo carmina plena dari.

AD ANGELUM POLITIANUM, POETAM INSIGNEM.

E4\_02 v.1 Ad te, jure potes, dum mittimus, Angele, carmen,  
2 dicere : "Pestano mittis, inepte, rosas",  
3 in Latium nobis magnum qui vertis Homerum,  
4 aemula dum fingis carmina Virgilio.  
5 Sed nos defessi tandem post tertia lustra,  
6 "Carliadi" optamus jam posuisse modum.  
7 Ipsa tamen negat ire foras, nisi senserit esse  
8 iudicio tutam, Politiane, tuo.

AD SASSUM MUTINENSEM, JUVENEM DOCTISSIMUM.

E4\_03 v.1 Sasse, decus Mutinae, Musarum gloria, Sasse,  
2 quo nemo celeri doctius ore canit  
3 nec plura exacto scribit pede carmina vates,  
4 seu Tusca eloqueris, sive Latina facis.  
5 Salsior es Burcho, nostrumque imitare Petrarcam,  
6 et Mutinae cedit Bilbilis ipsa tuae.  
7 Et tibi bis denis unus vix additur annis :



8            quae facies, aetas quando virilis erit ?  
 9            Simplicis interea doctique aenigma Boeti  
 10           et discis quicquid scripsit Aristoteles.

CONTRA ZOILUM MALEDICUM.

E4\_04    v.1        Quod tentem imbelles elegos mutemque vicissim  
           2            carmina, me dicit Zoilus esse levem.  
           3            Instat, et inquirat causas cur aere canoro  
           4            invicti sileam Gallica bella ducis.  
           5            "At non Virgilius, Phrygii cum diceret arma  
           6            Aeneae, teneros lusit et ipse jocos."  
           7            Non uno jucunda cibo sunt prandia, quamvis  
           8            sit pinguis, solus si modo turtur erit.  
           9            Sic juvat interdum lassae fastidia mentis  
           10           vel tenui risu, vel revocare joco.

CONTRA CARPENTEM POETAS.

E4\_05    v.1        Esse putas nugas versus et fronte severa  
           2            censoris tamquam crimina falce seces.  
           3            Urbibus expellis, facis hoc auctore Platone ;  
           4            indixit levibus vatibus arma Plato !  
           5            Nonne sacros vates dici sanctosque poetas  
           6            audisti, et magnis numen inesse viris ?  
           7            Non, ut rere, sonus carmen sine mente canorum est  
           8            (quis tam mentis inops crederet ista puer ?),  
           9            sed latet egregiis gravior sententia verbis ;  
           10           sic Moses cecinit, sic David ore sacro ;  
           11           et nos caelestes laudes sermone Latino  
           12           scripsimus, et veteres non abiire sales.  
           13           Carmina ne nugas credas priscique leporis  
           14           ne carpas nostros indignis libris.

CONTRA INGRATITUDINEM PROCERUM,  
 QUOD, SE REJECTO, INDIGNIORES ET INDOCTIORES ELEGERINT IN CURIA

E4\_06    v.1        Curia me nuper renuit, quod carmine notus  
           2            altiloquo cantem tristia bella pede.  
           3            Heu, nocet auctori nascentis fama sonora  
           4            "Carliados" : melius si tacuisset erat !  
           5            "At non historiam patriae sermone soluto  
           6            explicuit, cur nunc pulsus honore caret."  
           7            Quisque sui similes amat : ignorantia patrum  
           8            non curat natos erudisse suos.  
           9            Gaudeo quod nostros non carpat Curia mores ;  
           10           defendet partes Calliopea suas.

QUALES ESSE DEBEMUS IN SACRO TEMPORE JEJUNII.

E4\_07    v.1        Annua jam redeunt sacri jejunia mensis :  
           2            sit mens pura mihi, sit mihi casta Venus.  
           3            Tristia nunc odia in dulcem vertantur amorem :  
           4            non est invidiae nequitiaeque locus.

5 Omne procul vitium nostro de pectore cedat ;  
 6 sit tota aeterno mens operata Deo.  
 7 Non haeres aliter paradisi que incola fies,  
 8 non aliter Christi regna videre potes.

CONTRA HYPOCRITAS.

E4\_08 v.1 Tristibus hypocritis nihil est odiosius usquam ;  
 2 decipiunt homines decipiuntque Deum.  
 3 Sed fraus nulla diu eventum sortita secundum est,  
 4 et scelerum poenas dat simulata fides.  
 5 Componunt faciem luteo pallore trementem ;  
 6 semper eos credas abstinuisse cibis,  
 7 et vacuo perferre diu jejunia ventre ;  
 8 obducunt collum dejiciuntque solo.  
 9 Hos quicumque videt, Curium rigidosque Catonas  
 10 contentum parvo Fabriciumque putet,  
 11 aut aliquem in silvis inter deserta ferarum,  
 12 Hilariona sacros Machariumque viros.  
 13 Tunc auram populi, simulati praemia fuci,  
 14 accipit hypocrisis : finis et ille suus !  
 15 Tu vero unge caput faciemque lavare memento,  
 16 soli jejunans ut videare Deo !

UBI AMOR NOSTER EST, IBI COR NOSTRUM.  
 CONTRA AVAROS.

E4\_09 v.1 Mens ubi thesaurus tuus est jacet ? Incubat auro.  
 2 Si caelum cupias, incubat illa Deo.  
 3 Discedit de sede sua ac magis haeret amatae,  
 4 quo male compellet, vel bene ducet amor.  
 5 Non sunt in caelo tineae nullusque timendus  
 6 arcam qui fodiat clamve palamque latro.  
 7 Pertulit Oceani fluctus et monstra marina  
 8 ut male quaesitas linquat avarus opes.  
 9 At non te totum jubet excursare per orbem  
 10 Christus, et extremum currere in Oceanum,  
 11 sed monet erecta caelum te mente tueri  
 12 et vitam nulla commaculare nota.  
 13 Sic opibus felix magnis caeloque frueris  
 14 et tibi cum longa pace triumphus erit.

DE FIDE CHRISTIANA.

E4\_10 v.1 Si salvus fieri cupis et conviva Tonantis,  
 2 est opus ut credas mystica sacra Jesu ;  
 3 quod Pater et Natus, quod Sanctus Spiritus idem  
 4 sit Deus atque unus sit pariterque potens,  
 5 ex nihilo qui cuncta sua virtute creavit,  
 6 utque sit ex pura virgine factus homo ;  
 7 ut non a primae purgaret origine labis,  
 8 verbera pertulerit pertuleritque crucem.  
 9 Mortuus, inferni sedes descendit ad imas,  
 10 et veteres secum traxit ad astra patres.  
 11 Utque resurrexit, sic corpora nostra resurgent,

12 ut capiant factis praemia digna suis.  
 13 Est opus in sacro credentem fonte renasci ;  
 14 non aliter Christi regna videre potes.

DE AMANDIS INIMICIS NOSTRIS, UT NOSTRI DEUS MISEREATUR.

E4\_11 v.1 Heredem cupis esse Dei ? Cupis astra videre ?  
 2 Hostibus ipse tuis non inimicus eris.  
 3 An nescis ? Charitas inimicum cogit amare,  
 4 nec merces tanti parva laboris erit.  
 5 Vis tibi quod Pater omnipotens tua crimina donet ?  
 6 Primum, cui fueras hostis, amicus eris.  
 7 Est durum, fateor, sed Christi exemplar habemus ;  
 8 exemplo mitem te pudet esse Dei ?  
 9 Ille gradu lento contra delicta movetur,  
 10 sustinet et lenta fulmina tarda mora.  
 11 Si vis discipulus fieri Christique sodalis,  
 12 illis affer opem, qui tribuere mala.

ELESMOSINA FIERI DEBET DEI GRATIA ET CLAM, NE LAUS QUAERATUR HUMANA.

E4\_12 v.1 Centupla sidereus tua rex tibi munera reddet,  
 2 si laeva ignoret quod tua dextra dedit.  
 3 Teste Deo, contentus eris, cui talia dantur ;  
 4 si laudem quaeras, irrita dona dabis.  
 5 Quis tibi restituet centeno fenore sortem ?  
 6 Uberior fructus quae tibi terra dabit ?  
 7 Magna dabis laetus, sed Christi dentur amore ;  
 8 sunt nuda Carites : munera nuda dato.

AD BERNARDUM ADIMARIUM, QUALIS FUTURA HOMINUM RESURRECTIO.

E4\_13 v.1 Corpora post obitus hominum incorrupta resurgent,  
 2 iudicii extremi quando erit ima dies.  
 3 Tunc animae rursus radianti corpore cinctae,  
 4 praesertim electae, lampadis instar erunt.  
 5 Et nive candidior cinget leve corpus amictus,  
 6 qualis Hamadryadum pectora vestis obit.  
 7 Quin etiam efflagitas taedae si cura prioris  
 8 restet, et antiquae foedus amicitiae,  
 9 humanos ne actus tollat mors improba secum,  
 10 Adimar, et vitae finiat officia.  
 11 Nullus sponsus erit, nubet tunc nulla puella,  
 12 angelicaeque instar virginitatis erunt.  
 13 Nec mirum : quorsum, plenis jam sedibus alti,  
 14 esset opus thalamos sollicitare novos ?  
 15 Restabant habitus mentis vitaeque prioris ;  
 16 fulgebunt rutilis corpora clara notis.  
 17 Restabant verae soli virtutis amores,  
 18 qualis nostra fuit, dulcis amice, fides.  
 19 Ne timeas : aevo longo super astra fruemur,  
 20 nec mors disrumpet foedus amicitiae,  
 21 solaque felices reddet praesentia Christi ;  
 22 ultimus hic finis summaque meta boni est.

## AMICI DEI VEXANTUR IN HAC VITA NE AMENT TERRENA.

E4\_14 v.1 Vexari nunquid Christi miraris amicos  
 2 sitque adversa bonis resque secunda malis !  
 3 An sacra mentitur divinae pagina mentis ?  
 4 Haec fore veridico vaticinata sono est  
 5 exsilium, tormenta, famem, ludibria, ferrum,  
 6 et mala discipulos plura manere suos.  
 7 Rebus in adversis probat, ut fornacibus aurum,  
 8 excoquit et lentae semina nequitiae.  
 9 Quis sine peccato vivit ? Contraria culpae est  
 10 gratia, nec tenebras splendor amare potest.  
 11 Punitur quandoque malus, sed durat et, instar  
 12 mancipii illato verberere, pejor erit.  
 13 Vexaturque bonus : "Merui, Pater optime", dicit ;  
 14 tunc instar medici dat Deus antidotum,  
 15 utque pater nato parcit delicta fatenti,  
 16 cordeque contrito paenituisse sat est.  
 17 Corripit ergo Deus plagasque infligit amicis,  
 18 mortalis vitae ne breve tempus ament.

TIMORIS SUI ARGUIT ESSE CAUSAM  
HORRENDI JUDICII UNIVERSALIS EXSPECTIONEM.

E4\_15 v.1 Cur crebro ex imo ducam suspiria corde  
 2 inquiris, numquid pectora turbet amor.  
 3 An non occultas fallacis daemonis artes  
 4 prospicis, et sentis hostis ubique dolos ?  
 5 Crebrius horrendi nostras tuba clangit in aures  
 6 iudicii, unde meo pallor in ore subit.  
 7 Mens horret, trepidat gelida formidine pectus,  
 8 aeterno infelix ne reus igne cremer.  
 9 Tunc secreta animi retegentur et ante tribunal  
 10 stabit quisque Dei iudicis, ora tremens.  
 11 Horrebunt justis (vivit quis criminis expertus ?) ;  
 12 et tu me laeta vivere fronte jubes !

## NULLUS LIBER SACRIS EVANGELIIS POTES AEQUIPERARI.

E4\_16 v.1 Socraticos licet evolvas relegasque libellos,  
 2 nil Evangeliiis aequiperare potes.  
 3 His mortale nihil, nihil his terrestre jubetur,  
 4 legis ut auctorem dixeris esse Deum.

## AD AMICUM, CUR MORTIS HORA IGNORETUR.

E4\_17 v.1 Ne nostra assiduis quaterentur pectora curis,  
 2 mortis et instantis nos latet hora mali.  
 3 Ne pecudum vitam resides ageremus inertem,  
 4 intentos Christus nos vigilare jubet.  
 5 Mens pura exspectet venientis iudicis horam ;  
 6 heu, male diluitur funere prisca nota !  
 7 Non ergo ad seram deducas crimina mortem :  
 8 qualis vita fuit, mors tibi talis erit.

## ORATIONIS LOCUS EST TEMPLUM DEI ET COR HOMINIS PURI.

E4\_18 v.1 Templam, Dei sedes, ubi puris mentibus ores,  
 2 sunt sacra ; nequitiae non locus aptus erit.  
 3 Lascivi ite procul juvenes, procul ite, puellae ;  
 4 respuit obscenos intemerata domus.  
 5 Fecistis Christi Ecclesiam spelea latronum :  
 6 vos iterum ejicient inde flagella Dei.  
 7 Templam Dei sunt corda hominum : sint pura, sine ullis  
 8 sordibus ; odit enim sordida tecta Deus.  
 9 Demigrat, siquid maculae deprenderit illic :  
 10 num quid cum tenebris lux habitare potest ?

## QUOD POETAE ET VIRI DOCTI SUI TEMPORIS NON SUNT IN PRETIO.

E4\_19 v.1 Miraris quod sint tam clari hoc tempore vates,  
 2 cum videas doctis praemia nulla dari.  
 3 Dicis enim : "Pascit divinos fama poetas" ;  
 4 at potius cruciat pectora macra fames.  
 5 Artem nutrit honos : quis enim, mercede remota,  
 6 doctrinae studiis invigilare potest ?  
 7 Nunc sola incedit vili panno obsita Musa,  
 8 macraque neglectus pectora pallor obit.  
 9 Hanc nostri proceres veluti contagia vitant ;  
 10 credis honoratum, stulte, tenere locum ?  
 11 Non sunt in pretio mores, ut reris, honesti,  
 12 sed quaecumque jubent sunt facienda tibi.  
 13 Siquid turpe neges, fieri quod lege vetetur,  
 14 quam primum, infelix, excutiere loco.  
 15 Invenient subito causam, diceris ineptus :  
 16 "Non est hic nostris utilis officiiis ;  
 17 hic, umbrae assuetus, quae sunt civilia nescit ;  
 18 versutis nobis est opus ingeniis,  
 19 qui non excultis verbis praecepta reponant,  
 20 ambigui nequid verba latina ferant.  
 21 Grammaticae satis est dictata reponere verba :  
 22 eloquio quorsum est nunc Ciceronis opus ?"  
 23 Nuda jaces, Erato, sine tecto, pauper et agro :  
 24 i procul ! In nostra non datur urbe locus.

## SIGNA QUAE PRAECEDENT FUTURUM JUDICIUM DEI UNIVERSALE.

E4\_20 v.1 Cum medio cernes solem pallescere caelo,  
 2 oppositum lunae nec sibi corpus erit,  
 3 sanguinei ardebunt (miserum et lugubre !) cometae,  
 4 ignea ceu lampas totus Olympus erit ;  
 5 cum crebra arruptis torquentur fulmina nimbis,  
 6 devulsum ut labi sidus ab axe putes ;  
 7 turbine cum terras, cum tempestate sonoras  
 8 in morem cernes tollere montis aquas,  
 9 et Phaethonteo mundum fervere calore ;  
 10 innocuus stabit cum lupo inter oves,  
 11 ejiciet sicco vastas in litore phocas  
 12 pontus, et e silvis egredietur aper,

13 et rabie accensi populi rapiuntur ad arma,  
 14 pax nusquam, sed erit mortis ubique pavor ;  
 15 arescent frondes et fructum terra negabit,  
 16 tunc maris et terrae bestia quaeque cadet :  
 17 iudicii extremi tempus tunc rere propinquum,  
 18 haec sunt venturi signa tremenda Dei.

DEUS PRIMO HUMILIS NATUS IN CARNE,  
 SECUNDO IN MAJESTATE TREMENDUS DESCENDET OMNIA JUDICATURUS.

E4\_21 v.1 Filius, aeterni primum Patris unica proles,  
 2 ex pura est genitus virgine verus homo.  
 3 Christus homo verusque Deus, sub paupere matre  
 4 dum vixit, matri subditus ille fuit.  
 5 Qui caelum et terram ex nihilo, qui cuncta creatat,  
 6 ceu servus primo pauper inopsque fuit.  
 7 Sed veniet caelo majestas regia Christi,  
 8 aurea sublimi conspicienda throno,  
 9 praecedentque chori angelici volucresque phalanges ;  
 10 adventum talem sic decet esse Dei.  
 11 Tunc fiet cunctis manifesta potentia Christi,  
 12 iudicii extremi quando erit ima dies.

CONTRA PORPHYRIUM CHRISTI HOSTEM, QUI DAEMONAS ADORANDOS CENSEBAT.

E4\_22 v.1 Perfide Porphyrii, projectos daemonas astris  
 2 audes aeterno praeposuisse Deo.  
 3 Impie, pestiferos fallacis Apollinis astus  
 4 audes Davidicis aequiperare modis.  
 5 Evomis in nostrum, scelerate, volumina Christum ;  
 6 non hoc debuerat substinuisse Deus.  
 7 Tene Evangelio genuinum infringere dentem,  
 8 tene putas soli fundere posse notam ?  
 9 Haec non fallaci luserunt daemones arte ;  
 10 hoc Deus omnipotens protulit ore sacro.  
 11 Cum maris et terrae sit finis et aetheris alti,  
 12 lex Christi et legis gloria semper erit.

AUT FORMIDINE POENAE, AUT GLORIAE CAUSA A MALIS ABSTINENDUM EST.

E4\_23 v.1 Quem non inferni terrent a crimine poenae,  
 2 hunc justis moveant praemia magna Dei.  
 3 Mortale est quodcumque vides ; est sola perennis  
 4 virtus, inque dies gratior esse solet.  
 5 Nulla diu durant concessaque labitur hora  
 6 mortalis vitae more volantis avis.  
 7 Heu, breve ver formae perit ; haec deformis anusque  
 8 nunc est, quae quondam pulchra puella fuit.  
 9 Quid Croesi et Darii referam ditissima regna ?  
 10 Eversum imperium vidit uterque suum.  
 11 Vix tantum servat Romana potentia nomen  
 12 nullaque honorati signa decoris habet.  
 13 Et nos, insipidi, aeternos hic esse putamus !  
 14 Ex omni numero, nemo superstes erit.  
 15 Et febris et senium rapiunt a corpore vires :

16 Milo tibi exemplum roboris esse potest.  
 17 Quod breve delectat, nec tardis poena moratur  
 18 passibus ; aeternum quod cruciatur erit.  
 19 Quare, age, promissum caelum virtute paremus ;  
 20 nam Deus est verax : uberiora dabit.

AD LAURENTIUM MEDICEM.

E4\_24 v.1 Ludere depositis bellis gravibusque cothurnis  
 2 me juvat et teneram concrepuisse lyram,  
 3 spiritus ut spatiis alacer consurgat ad arma :  
 4 exemplo moti scribimus ista tuo.  
 5 Caiani egregias laudes depinximus agri :  
 6 delicias ad te mittimus, ecce, tuas.

DESCRIPTIO VILLAE CAIANAE, CUM AGRIS SUIS, LAURENTII MEDICIS.

E4\_25 v.1 Molliter aclivis Caiani est nomine collis ;  
 2 millibus ille decem distat ab urbe locus,  
 3 "Ambra" ubi, Laurenti Medicis pulcherrima villa,  
 4 inter Syllanidas Pistoriumquesita est.  
 5 Quantum amentatis spatium vix sufficit hastis,  
 6 tam longe a villa piscifer Umbro fluit,  
 7 herbiferique prope est spatium admirabile prati,  
 8 quod gelida in mediis aestibus unda rigat ;  
 9 bisque secant illic anno redolentia fena,  
 10 quin saturant pingues pascua laeta boves.  
 11 Bis centum vaccas vitulis lactentibus omnes  
 12 cum trucibus tauris fertile gramen alit,  
 13 conditaque in medio lambit praesepia rivus ;  
 14 non gelidus Boreas, non nocet unda loco.  
 15 Neve iter inficiat limus turpetque juvencas,  
 16 constrata est saxis area, strata via est.  
 17 Plenaque fertilibus demulgent ubera vaccis,  
 18 mulctraque despumat lacte natante capax.  
 19 Caseus hinc pinguis nostram defertur in urbem,  
 20 ad nos qualem olim mittere Parma solet.  
 21 Sunt circum virides herbis redolentibus horti,  
 22 quales fert Paesti fertilis ora jugi.  
 23 Neve aliquid desit, miro sunt ordine cellae  
 24 Hyblaeis apibus, sicut Hymettus habet.  
 25 In medio lacus est, ubi piscis copia magna est  
 26 inque ipsis anates saepe vagantur aquis.  
 27 Silvestri admixtus simul ipse domesticus anser,  
 28 vicinum e parvo gurgite pascit olus.  
 29 Non longe alnorum silva est densissima ramis,  
 30 quas Phasiana colit, versicoloris avis.  
 31 Nec procul aucupio locus est insignis in undis,  
 32 cum gelidus Boreas flamine durat aquas.  
 33 Vere coturnices nidos in gramine ponunt ;  
 34 copia tanta aliis non reperitur agris.  
 35 Nidificatque illic volucris quae nocte canora est ;  
 36 hac nulla e parvis pinguior esse solet.  
 37 Haec sunt in campis, circumque virentia prata ;  
 38 collis habet vites arboribusque viret.  
 39 In tumulo est omni nudatus ab arbore vertex ;

40           retibus hic parvae decipiuntur aves.  
 41       Per medium collem vicus celeberrimus exstat ;  
 42           instar castelli cingit utrimque domus.  
 43       In dubio jucunda magis Caianane rura  
 44           an sint, Laurenti, fertiliora tibi.

AD CAROLUM BENINUM,  
 DE LAUDIBUS PHILIPPI HISPANI FLORENTINI, PANNONII REGIS DUCIS  
 INVICTISSIMI CONTRA TURCOS.

E4\_26   v.1     Invicti me, Carle, rogas numerare triumphos  
           2       Hispani, et quotiens victor ab hoste redit.  
           3       Oceani fluctus et arenas litoris omnes  
           4       et numerare petis sidera cuncta poli.  
           5       Non mihi Pindaricus resonet si spiritus ore,  
           6       inclyta gesta meis versibus aequiperem.  
           7       Marcelli et magni paene aequat Caesaris arma  
           8       Scolaris sanguis, gloria Syllanidum.  
           9       Pannonia celebratur adhuc memorabile nomen  
          10       defunctique colit tela tremenda ducis.  
          11       Horret adhuc feritas Turcorum signa Philippi ;  
          12       apparent multis clara tropaea locis,  
          13       cum rubicundus aquis Turcorum sanguine fluxit  
          14       Savus, et egestis ossibus albet ager.  
          15       Saepe ferunt hostes, audito nomine tantum  
          16       Hispani, trepidam praeripuisse fugam.  
          17       Christicolis tutela fuit veneranda senectus :  
          18       prospectis canis, hostibus horror erat.  
          19       Quin et post mortem vecta est ductoris imago  
          20       per castra, et Turcos terruit illa truces.  
          21       Salve, Martigenae populi clarissima proles,  
          22       Hispane, Etrusci fama decusque soli !

QUOD POETAE ET DOCTI VIRI NON SUNT IN PRETIO FLORENTIAE,  
 SED SCRIBAE ET RABULAE.

E4\_27   v.1     Cur totiens a te steriles fodiuntur arenae ?  
           2       Hei, misero incassum tot cecidere dies !  
           3       Occlusas frustra quid Maecenatis in aures  
           4       garris ? Carminibus nullus habetur honor.  
           5       Sunt rabulae in pretio : quid inania tempora perdis ?  
           6       Dediscas carmen Pieridumque choros !  
           7       Ignotus sit scriba licet, praeponitur omnis ;  
           8       at tu cum Musis excutiere foras.

AD SE IPSUM, DE SUI TEMPORIS INGRATITUDINE.

E4\_28   v.1     Quid frustra exspectas ? Nempe insanire videris ;  
           2       nescis quam surdis auribus ista canas ?  
           3       Jam nonum intrasti lustrum, jam tempora cani  
           4       inficiunt, et tu carmen inane facis.  
           5       Mecennatis opem imploras : "Dabit" inquis "honorem" ;  
           6       at cineri sera est quae medicina datur.



## OTIA SUNT ARMA VENERIS ET DIABOLI ADITUS IN MENTES HOMINUM.

E4\_29 v.1 Cum Venere assiduum bellum est, victoria rara ;  
 2 crebrius unde monet nos vigilare Deus.  
 3 Ne mala per vacuas irrepant otia mentes,  
 4 perdomet assiduus corpora fessa labor.  
 5 Desidiam ignorat quis tela cupidinis esse ?  
 6 Hac furtim illaqueat pectora nostra Venus.  
 7 Occludas primos aditus et limina serves,  
 8 serpere neve hostes in tua tecta sinas.  
 9 Pellere nequicquam capta conaberis arce ;  
 10 te, postquam intrarit, fortior hostis erit.

## OMNIS MALUS EST SERVUS, OMNIS BONUS EST LIBER.

E4\_30 v.1 Esse cupis liber ? Facile est : sine crimine vivas ;  
 2 liberior quovis vivere rege potes.  
 3 Omnis nempe malus servus saevoque tyranno  
 4 paret, et alterius sub ditione manet.  
 5 Tot domini imperitant tibi, quot sunt crimina ; duro  
 6 servitio misere qui tua colla prement.  
 7 Quis dubitat Cynicum magno praeponere regi ?  
 8 Exstitit hic orbis victor, et ille sui.

SACRI CODICES,  
 QUANTO MAGIS RELEGUNTUR, TANTO MAGIS PLACEBUNT,  
 ET SENSUS INDE PERCIPITUR.

E4\_31 v.1 Si legis aeterni divina volumina Christi,  
 2 dices (crede mihi) suavius esse nihil.  
 3 Quo felix avidam saturabis nectare mentem ;  
 4 dulce nihil duces, praeter amare Deum.  
 5 Quoque magis releges, tibi plus repetita placebunt,  
 6 cum codicis fient pabula nota sacri.

QUOD AVARUS CONTRA OMNES EST MALUS, IN SE IPSUM EST PESSIMUS,  
 EX SENTENTIA PAULI EMILII.

E4\_32 v.1 Clara tibi Aemilii nota est sententia Pauli,  
 2 cum tonat adversus crimen avaritiae.  
 3 Omnibus est hostis, sibi vero infensus avarus :  
 4 excruciat noctes seque diesque, miser.  
 5 Non amat, immo odit cunctos, qui diligit aurum,  
 6 inque omnes saevit pernicioosa lues.  
 7 Pallent ora fame ; dextra laevaue rapaci  
 8 per fas atque nefas raptat avarus opes.  
 9 Nil praeter cumulare juvat, numquamque vorago  
 10 impletur ; semper crescit avara sitis ;  
 11 pullulat inque dies magis et senioribus annis  
 12 a radice viret germen avaritiae.  
 13 Ex omni coetu est procul extirpandus avarus,  
 14 communis tamquam est effugienda lues.

## CAELI GLORIA SUMMO LABORE PARATUR, QUIA VIRTUS CIRCA DIFFICILE EST.

E4\_33 v.1 Nescis quam magno petitur discrimine caelum ?  
 2 Scandere tu nullo posse labore putas ?  
 3 Circa difficile est virtus, cunctique vocantur,  
 4 clivosa at rarus serpit ad astra via.  
 5 Molliter Attalico recubans tu dives in ostro,  
 6 magni conspicias aurea tecta Dei ?  
 7 Tu temeto ascendes caeli distentus ad arces,  
 8 aegre cum carpat sobrius illud iter ?  
 9 Terrarum domina Hieronymus urbe relicta,  
 10 exposuit calidis membra perusta jugis.  
 11 Herbarum foliis pastus fontemque tepentem  
 12 libabat sicco vix semel ore die.  
 13 Tarsensis doctor per quanta pericula Paulus  
 14 atria bis meruit celsa videre Dei !  
 15 Quid Christi heroes exemplaue tanta renarrem ?  
 16 Quae fecere illi, sunt facienda tibi.

## QUOD FELICIUS RURI QUAM IN URBE VIVATUR.

E4\_34 v.1 Qui vult felicem sine curis ducere vitam,  
 2 contentus paucis vivat ab urbe procul.  
 3 Exiget hic longum tranquille inglorius aevum ;  
 4 addictus nullo crimine, liber erit.  
 5 Collibus apricis vites et semina campis  
 6 mandet, et hortorum cura secunda detur.  
 7 Vere legat flores, messem succidat in aestu,  
 8 calcet et autumnu dulcia musta lacu.  
 9 Horrida pellitus glacialis tempora brumae  
 10 et posito Boreae rideat igne minas.  
 11 Fluminibus pisces, silvis venabere dammas,  
 12 et visco incautae decipientur aves.  
 13 Non hic ambitio nec opum furiosa cupido ;  
 14 est procul a castis Cypria pestis agris.  
 15 Quod si naturae poteris cognoscere causas,  
 16 tantum divinae mentis acumen habes,  
 17 Musarumque sacro felix rapieris amore,  
 18 ut dictet versus pulcher Apollo tibi.  
 19 Tunc nullae impediunt curae per amoena vireta ;  
 20 uda Medusaeis antra videbis aquis.

## AMBITIO TERRESTRIS REGNI AGIT PRAECEPTA GENUS HUMANUM.

E4\_35 v.1 Impiger excurrit juvenis Pellaeus ad Indos,  
 2 tamquam parva forent regna paterna sibi.  
 3 Quos aestus imbresque tulit, quae vulnera passus,  
 4 casurum ut terrae quaereret imperium,  
 5 linqueret ut citius quam devicerat orbem !  
 6 Heu, solidi hic, miseri, cernimus esse nihil !  
 7 Nos vero aethereas, stulti, contemnimus arces,  
 8 vilis et optamus regna caduca luti.  
 9 Non hic nostra domus, patria est sublimis Olympus ;  
 10 huc, huc tendamus, quo vocat ipse Deus.

## FELICITAS, STABILE ET SUMMUM BONUM, HIC NON POTEST REPERIRI.

E4\_36 v.1 Si fugitiva volant praesentis gaudia vitae  
 2 et nulli felix stat diuturna dies,  
 3 quo potes hic pacto vitam reperire beatam,  
 4 cum nullum hic videas esse perenne bonum ?  
 5 Perpetuo irrepunt mortalia corpora lapsu,  
 6 auctaque decrescunt omniaque orta cadunt.  
 7 Sunt animae aeternae, virtus est sola perennis,  
 8 quae te felicem reddere sola potest.

## CONTRA SUPERBIENTEM REBUS PROSPERIS, QUAE SUBITO MUTANTUR.

E4\_37 v.1 Non, ut rere, diu violenta superbia durat :  
 2 quod me nunc ludis, cras tibi fiet idem.  
 3 Si fueris justus, tibi nulla procella nocebit :  
 4 obruet injusti quaelibet aura ratem.  
 5 Ah, nescis quam sit fortuna volubilis et quam  
 6 mutatis pontus se cito vertat aquis ?  
 7 Vidi ego qui fuerat sublimi in culmine rerum,  
 8 mendicum in vili consenuisse casa.

## DE INSTRUENDIS PUERIS IN ELOQUENTIA, MORIBUS ET ARTIBUS.

E4\_38 v.1 Aurea Phocilidis quis nescit carmina vatis,  
 2 cum monet ut linguae sit tibi cura prior,  
 3 ut cures pueri ne barbara verba loquantur ?  
 4 Accedat morum cura secunda tibi :  
 5 dum docile ingenium est, mores tradantur honesti :  
 6 quod puer accepit, servat et ipse senex,  
 7 et mala praesertim, quae primis imbibit annis,  
 8 haerent, testa nova est ceu vitiata garo.  
 9 Mox, ubi doctrinae vel se commiserit arti,  
 10 aptum cui videas, erudiendus erit.  
 11 Nil bene tentabis, tibi quod natura recusat :  
 12 Spartanos pueros sic didicisse ferunt.  
 13 Instar enim cerae puerilia pectora formes :  
 14 necquicquam erudies pectora dura senum.  
 15 Ceu tenerae virgae partes flectuntur in omnes ;  
 16 verum arbor duro cortice facta riget.  
 17 Alea segnitiesque procul, procul esto voluptas !  
 18 Inflammet pueri pectora laudis amor.

AD BERNARDUM ADIMARIUM,  
CONQUERENS DE OBITU BENEDICTI, PUERI EJUS FRATRIS

E4\_39 v.1 Ergo omnes saevi rapit inclementia fati ;  
 2 abstinet a nullo Parca maligna manus.  
 3 Omnia nata metit nullo discrimine Clotho,  
 4 et juvenem pariter decrepitumque rapit.  
 5 Bis quinos puerum numerantem perdidit annos,  
 6 et patris et matris nil valere preces,  
 7 nec fratris potuit pietas obsistere fato ;  
 8 fixus erat vitae terminus ille suae.

9 Exitus incertus, sed mors certissima cunctis  
10 imminet : hic infans occidit, ille senex.

CONTRA FALLACEM VITAM, QUAE NIHIL EXSOLVIT QUOD PRIUS SPOPONDERAT.

E4\_40 v.1 Vita hominum fallax ! Promittis gaudia, luctus  
2 persolvis ; monstras dulcia, das aloem.  
3 Ah, quotiens longos cum tu promiseris annos,  
4 fregisti plenas invidiosa colos !  
5 Quid certi poteris spondere, incertior aura  
6 cum sis ? Infelix qui tibi credit erit.  
7 Quare, age, non tanti praesentis gaudia vitae  
8 credas ; subter enim dira venena latent.  
9 Qui sis, unde venis, quis sit tibi finis habendus  
10 evolvas ; alibi est nostra petenda salus.  
11 Nolis sive velis, finis certaminis est mors ;  
12 post mortem nemo paenituisse potest.

VITIA MAGIS FUGIENDA ET FOEDIA SUNT QUAM MEDUSAE VULTUS.

E4\_41 v.1 Non ita Gorgoneos vultus, ut crimina, vites :  
2 peccato quid nam foedius esse potest ?  
3 Ut facies colubri est fugienda, ita criminis horror :  
4 divino hoc Salomon saepius ore monet.  
5 Impia nos faciunt Christo peccata rebelles ;  
6 gratia cum culpa non habitare potest.

DIXIT HIPOCRATES

COITU ET GULA HOMINES SENTIRE MORTALITATEM ET SIMILES BRUTORUM ESSE.

E4\_42 v.1 Sunt duo cum brutis communia crimina nobis :  
2 turpe gulae vitium, turpior ipsa Venus.  
3 Scilicet enervant animum corpusque resolvunt :  
4 ex his morborum profluit omne genus.  
5 His Hippocrates mortales esse duobus  
6 et similes homines asserit esse feris.

AD PANNONIAM, DE LAUDIBUS INVICTISSIMI REGIS MATHYAE.

E4\_43 v.1 Pannonia armipotens, regem venerare Mathyam :  
2 producunt talem saecula rara ducem,  
3 qui sit magnanimus, qui formidabilis armis,  
4 qui sit subjectis mitis, in hoste ferox.  
5 Ecce, tuos vicina pavet Germania motus,  
6 horret et ipse tuas Turcus inire manus ;  
7 Ungariam excursare timet longaque recessit  
8 et procul a Savo continet arma sua.  
9 O fortunatae gentes populi que beati,  
10 numina quis talem sancta dedere ducem !  
11 Hunc colite et votis in longum extendite regem,  
12 Saturni ut superet saecula terna senis.

## EPIGRAMMATUM LIBER QUINTUS.

E5\_01 v.1 Regia progenies, generosi principis uxor,  
 2 rege patre es felix, rege beata viro es.  
 3 Quam tibi veridice nomen posuere parentes,  
 4 unde Beatricis nomina dicta reor !  
 5 Suscipe laeta, precor, nostros, regina, libellos,  
 6 neve illis fessis aurea tecta neges.  
 7 Sint licet indigni, sit sordida pulvere vestis,  
 8 hos tamen in pluteo suscipe laeta tuo.  
 9 Qui venit Ausoniis istuc a finibus hospes,  
 10 te veluti portum fessa carina petit.  
 11 Hos, precor, accipias et laeta fronte revolvas ;  
 12 offendat quod te nil, reor, invenies.  
 13 A domino didicere suo nil turpe referre,  
 14 sed casto intactae virginis ore loqui.  
 15 Siquid pro domino poscent audentius, illis  
 16 da veniam : dominus jusserat illa suos.

AD LIBRUM SUUM MERITO FESTINANTEM IRE IN PANNONIAM,  
 UT REQUIRAT ILLIC &QUOSDAM AMICOS

E5\_02 v.1 Festinas merito fugere hinc ad regia tecta,  
 2 Adriaci nec te territat unda maris.  
 3 Ire simul cuperem, sed me carissima conjunx,  
 4 me dulces nati, parve libelle, tenent.  
 5 Indixere sacris proceres fera bella Camenis,  
 6 ut sit eis nostra nullus in urbe locus.  
 7 I, pete magnifici sublimia tecta Mathyae ;  
 8 quis tibi sub tanto rege timendus erit ?  
 9 I cito, ne dominum videas indigna ferentem,  
 10 cui jam "Carliados" fama sonora nocet !  
 11 Franciscum Arragonem primum salvare jubeto :  
 12 huic dices domini nomen et unde venis.  
 13 Moxque colocensis vises antistitis aedes :  
 14 tam longae huic dices quae tibi causa viae est.  
 15 Bandinum inquiras, veterem fidumque sodalem ;  
 16 Hunc adeas ; gremio te geret ille suo.  
 17 Praeterea multos, quorum tibi nomina dixi,  
 18 alloquere, et prompti posce favoris opem.  
 19 Ceu pestem fugias indocti limen avari ;  
 20 fontibus ex istis cuncta venena fluunt.

## AD BERNARDUM ADIMARIUM, DE OBITU MATRIS SUAE BARTHOLOMEAE.

E5\_03 v.1 Flebile maerentis carmen, Bernarde, poetae  
 2 accipe, nec pudeat collacrimare simul.  
 3 Forsitan hoc alii carpent tenerisque putabunt  
 4 fletibus et matri me tribuisse nimis.  
 5 Luminibus siccis quis spectet funera matris ?  
 6 Non homo, convincam : vel fera, vel Deus est.

## EULOGIUM IN OBITU BARTHOLOMEAE MATRIS, PRAESTANTISSIMAE MULIERIS.

E5\_04 v.1 "O dulces nati, tantos effundere questus  
 2 quid juvat, et frustra sollicitare Deum ?  
 3 Comprimate, en, lacrimas dilectae in funere matris :  
 4 transegi, dederant quos mihi fata, dies.  
 5 Desinite, ergo, meum fletu vexare sepulchrum :  
 6 pars melior nostri sidera celsa petit.  
 7 Corpus inane jacet, solum mortale cadaver  
 8 occidit : hac omnis sorte creatus homo est.  
 9 Quin meus hoc ipsum corpus juvenile resumet  
 10 spiritus, inque mea carne videbo Deum,  
 11 cum Deus in cineres terrarum verterit orbem,  
 12 ultima cum veniet non reditura dies.  
 13 Nulla potest hominis fieri jactura cadentis,  
 14 cum surget positus clarior exuviis.  
 15 Improba (cui parcat ?) nascentibus omnibus instat :  
 16 quae mors esse potest increpitanda seni ?  
 17 Stat fixus cunctis humani terminus aevi,  
 18 ulterius quem non praeteriisse licet.  
 19 Venimus ad metam vitaeque peregrinus annos  
 20 concessos ; quis nam fata movere potest ?  
 21 Non exoratae producunt stamina Parcae ;  
 22 jam mors ante oculos stat violenta meos,  
 23 pallidaque horrendo frustra me terret hiatu :  
 24 nam vitam inficiunt crimina nulla meam.  
 25 Erubeat mortem, siqua est obnoxia labi,  
 26 palleat et nigros umbra subire lacus,  
 27 et tremat aeternas scelerum persolvere poenas :  
 28 namque bonis mors est gloria, poena malis.  
 29 Turgida nec calido corrumpite lumina fletu,  
 30 nec matrem lacrimis dedecorate piis.  
 31 Ante alias longe sum felicissima mater,  
 32 cui mihi sunt septem pignora tresque nurus,  
 33 cui mihi longaevus conjux fraterque superstes  
 34 exstant, et concors et sine labe domus.  
 35 Cum videam caros mihi tot superesse nepotes,  
 36 quos generi et nostrae progenuere nurus,  
 37 quae plura optarem ? Jam sexagesimus annus  
 38 volvitur : hic vitae finis et hora meae est.  
 39 Siquid apud caros, ut debet, mater alumnos  
 40 juris habet, nec mors finiet imperium,  
 41 ecce, meum commendo virum vestrumque parentem,  
 42 ne desiderio tabeat ille meo.  
 43 Confectum senio et maerentem conjuge rapta  
 44 servate, ut superet saecula terna senex.  
 45 Circumstentque nurus blanda officiumque ministrent,  
 46 et gerat alternas illa vel illa vices,  
 47 ut phrigii vincat longissima tempora fati,  
 48 ut senior natos cernat et ipse senes.  
 49 Silvestrum ante alios natum commendo minorem,  
 50 cui non est uxor nec sibi cara parens.  
 51 Hoc unum moriens iterumque iterumque monebo,  
 52 ne turbet vestros dira Megaera lares.  
 53 Aurea vobiscum sit pax ; concordia felix  
 54 alterno fratres semper amore liget.

55 Jamque vale, o conjux, ne te dolor urgeat ullus,  
 56 si socia eripitur Bartholomea tori.  
 57 Sit visum Superis ; quid fles ? Age, comprime luctum,  
 58 laetior ut noster spiritus astra petat.  
 59 Num tibi tot restant, communia pignora, nati ?  
 60 Ne turbes fletu pignora cara tuo !  
 61 En morior, conjux ; nigrescunt omnia circum...".  
 62 Nec plura : in medio lingua retenta sono est ;  
 63 efflantemque animam superas emisit in auras,  
 64 corpus at in gelido mansit inane toro.  
 65 Insonuit quantis pulsus plangoribus aether !  
 66 O lux infelix, o lacrimosa dies !  
 67 Semper acerba suis, semper memoranda Verinis,  
 68 solliciti, heu, semper causa doloris erit !  
 69 O clara ante alias, nulli pietate secunda,  
 70 quae coleret casta religione Deum !  
 71 Quae magis exarsit vera charitate ? Quis ergo  
 72 non fleat et lacrimis abluat ora piis ?  
 73 Lugeat aequorei plebecula pauper agelli,  
 74 ploret vicinus quisquis egenus erat.  
 75 Sed quoniam nullis revocatur fletibus umbra,  
 76 ne pigeat laudes enumerare suas.  
 77 O veneranda parens, quo te dignemur honore,  
 78 o genitrix, nostrae fama decusque domus ?  
 79 Vera parens, propriis lactasti pignora mammis,  
 80 ipsa licet Medices sanguine tangit avos.  
 81 Natorum, o, longos totiens perpessa labores,  
 82 quae tibi, quae poterunt praemia digna dari ?  
 83 Nam tua pertenuem nostrum solertia censum  
 84 et non indignis quaestibus auxit opes.  
 85 Inspiciens natos solers prudentia matris,  
 86 erudiit variis artibus ingenia.  
 87 Mercibus hic quoniam fuit aptior, ille Minervae,  
 88 naturae jussit semina quemque sequi.  
 89 Hic quia velocis praestabat acumine mentis,  
 90 jussit Socraticis invigilare libris,  
 91 et rerum causas et caeli noscere motus,  
 92 afferre aegrotis ut bene posset opem.  
 93 At me Musarum flagrantem ut vidit amore,  
 94 et dare Pierio carmina multa choro,  
 95 "I" dixit, "sequere Aonias, Ugoline, puellas,  
 96 et tua Pegaseis fontibus ora laves."  
 97 Quas igitur grates, quae reddant praemia nati  
 98 debita ? Pro nobis Jupiter ipse dabit.  
 99 Divorum augebis numerum super astra volando,  
 100 impleat ut vacuos umbra beata tronos.  
 101 Illic sidereo satiabis nectare mentem,  
 102 inter caelestes annumeranda choros.  
 103 Illinc omnis abest vitae dolor, omnis egestas ;  
 104 non habet in Superos jus Libitina deos.  
 105 Non mutat vires illic morosa senectus,  
 106 perpetuo sed enim flore juvena viret.  
 107 Frigida non calidis, non pugnant humida siccis ;  
 108 Caelicolum tenuis temperat aura solum,  
 109 qualis Atlantei occiduas post litoris undas  
 110 felices suavis spiritus aflat agros.  
 111 Est animus simplex, nec fato obnoxius ulli,  
 112 et solo aspectu pascitur ipse Dei.

113 Nempe bonum summum est, caeli cui destinat arcem  
 114 Jupiter, aeternum posse videre Deum.  
 115 Illic militibus reddit sua praemia Christus,  
 116 fortiter ob patriam qui periere suam,  
 117 Qui mundi illecebras saevosque cupidinis ignes  
 118 viceruntque omnes daemonis insidias,  
 119 qui sacra Pontificum Romanae dogmata sectae  
 120 servarunt certa, non violata, fide.  
 121 Panduntur caeli portae, reseratur Olympus,  
 122 aethereas felix cum petit umbra domos.  
 123 Huc, veneranda parens, venies, atque obvia turba  
 124 caelesti longe curret ab urbe tibi.  
 125 Virginei occurrent coetus candore micantes,  
 126 agmina non tacta candidiora nive ;  
 127 obuius et veniet rutilanti in murice martyr,  
 128 et palmae et lauri flondeaserta geret.  
 129 Mox te matronae gemmis auroque nitentes  
 130 accipient, vinxit quas sacra taeda viris.  
 131 Applaudent roseaeque dabunt mille oscula fronti,  
 132 et tales edent ore canente sonos.  
 133 "Humanae o tandem vitae defuncta labore,  
 134 ingredere, o felix, aurea tecta Dei.  
 135 Atria quae longe cernis radiantia, gemmis  
 136 culmineque aurato, tecta superba, micant :  
 137 haec tibi caelestes struxere palatia fabri,  
 138 haec tua pro meritis semper habenda domus".  
 139 His, mater, pompis, tali comitata triumpho,  
 140 empyrei intrabis limina celsa poli.  
 141 Te quoque celsa suis caeli Regina lacertis  
 142 accipiet, dicens : "Dulcis amica, veni ;  
 143 aeterno fruitura bono, cape praemia Christi,  
 144 praemia promissis uberiora suis.  
 145 Ingrederere auratae crystallina limina sedis,  
 146 accipe siderei ditia regna soli."  
 147 Talibus ascendes divina in gaudia dictis,  
 148 gaudia non ullis aequiperanda bonis.

EULOGIUM IN FUNERE VERII EIUS PATRIS, VIRI OPTIMI,  
 AD PAULUM PHYSICUM GERMANUM.

E5\_05 v.1 Omnia sunt igitur diris obnoxia fati,  
 2 et nihil est quod non auferat atra dies.  
 3 Te potuit, venerande parens, abducere templis  
 4 polluta ad tumulum Parca maligna manu.  
 5 Num sanctos mores, num castum attingere corpus  
 6 horruit ? Ah, cogor quale putare nefas !  
 7 Si bonus atque malus pereunt discrimine nullo,  
 8 et nulli parcat de tribus una Soror,  
 9 non idem certe manet exitus : alter Olympum  
 10 ascendet, Stygias ebibet alter aquas.  
 11 Impius inferni aeternos cruciandus ad ignes  
 12 trudetur, meritis praemia digna suis ;  
 13 justus ad Empyrei vectetur gaudia caeli,  
 14 regnet ut angelici dignus honore throni.  
 15 Nunc memini tua, sancte parens, oracula, cum me  
 16 praecipitem saevo torsit amore Venus.  
 17 Me miserum, quanto repeto praecepta dolore !



18 Non licuit grates exhibuisse tibi.  
19 Talia, Paule, mea maestus dum mente revolvo,  
20 dilecti ante oculos spiritus ecce patris,  
21 lucidior flammis et clari sideris instar,  
22 et roseo tales edidit ore sonos :  
23 "Quis te luctus edax rodit, carissime nate ?  
24 Quae mors aegroto est increpitanda seni ?  
25 An nescis homines mortali sorte creatos ?  
26 Unde improvisus te premit iste dolor ?  
27 Quid tibi Socraticos prodest legisse libellos,  
28 claraque prudentum tot monumenta virum ?  
29 Hoc primum aerumnae signum memorabile nostrae est,  
30 ut sortis damnet munera quisque suae.  
31 Unica mortali cui felix contigit hora ?  
32 Nec mirum : aegriferae concupiuntur opes ;  
33 gliscit amor quanto cumulum congesseris auri,  
34 majori inque dies fenore pauper eris.  
35 Crimina quid referam, quae sunt communia brutis ?  
36 Vitate haec, tamquam sint capitale nefas.  
37 Unicus exemplar sit vobis Christus honesti :  
38 omnis ab insidiis hoc duce tutus erit.  
39 Hoc duce siderei caeli victoria parta est :  
40 o merces nullis aequiperanda bonis !  
41 Quis non contemnet vitae mortalis honorem,  
42 virtutis memorem si putet esse Deum ?  
43 Cetera vel rapidi labuntur fluminis instar ;  
44 concessae vix sunt ad breve tempus opes.  
45 Quod si cui indulget raro fortuna benigna,  
46 mox anima haec linquet diffugiente dolens.  
47 Si mihi quid juris, jubeo moneoque rogoque  
48 fraterna ut charitas pectora vestra liget,  
49 neu vos transversos agitet discordia praeceps,  
50 sed pius alterne vincula nectat amor ;  
51 Neve aliquem fidum externum sibi credat amicum,  
52 qui patriam aut fratres oderit ipse suos.  
53 Quis non immerito explodat damnetque bilingues,  
54 atque hominum e coetu mergat in oceanum ?  
55 Mentitur quisquis fratrem se dixerit illi  
56 cui, vafer, occultas instruit insidias.  
57 Perfidiae reus est Christi cui nomen in ore est,  
58 corda gerens foedis prava cupidinibus.  
59 Pectora vestra liget charitas adamante tenaci :  
60 haec vos felices reddere sola potest.  
61 Extorquet charitas irato fulmina Christo,  
62 cogit et infensum ponere iudicium.  
63 Crede mihi : celsis ego nunc delapsus ab astris  
64 testor sincera nil charitate prius.  
65 Vidi animas flentes summi Jovis ante tribunal,  
66 ut caperent vitae praemia digna suae ;  
67 et nisi flammiferae charitatis amore redemptae,  
68 Tartareis mersae decoquerentur aquis.  
69 Verum, age, me superas jam tempus visere sedes ;  
70 non terere ulterius fata dedere moras.  
71 Haec memoranda tuis nostro fac nomine pandas  
72 fratribus ; esse tui dicito jussa patris.  
73 Comprime, nate, precor, luctum, lacrimisque caveto  
74 ut mulier turpes funera nostra tuis.  
75 Extremae est actus vitae octuagesimus annus :

76 et quereris ? Reliquum quid nisi morbus erit ?  
 77 Nunc ego dilecta peragro cum conjuge caelum  
 78 et concors casto semper amore fruor.  
 79 Nos pia pro caris oramus numina natis,  
 80 ut pia pro meritis det pius astra Deus.  
 81 Illic, ut spero, mecum super aethera vives ;  
 82 nunc instar mortis vita putanda tua est".  
 83 Haec ubi dicta dedit, circum mea colla pependit ;  
 84 mox instar radii lapsus ad astra poli est.

EULOGIUM IN ACERBISSIMO FUNERE PETROTII, EJUS DILECTISSIMI FRATRIS.

E5\_06 v.1 Tristis eram et cari maerebam funera fratris ;  
 2 abstulerat somnum pectore luctus edax.  
 3 Tot neglecta Deo fratrum pia vota dolebam,  
 4 et Pauli medicas nil valuisse manus,  
 5 cum nota ante oculos germani effulsit imago  
 6 et tales roseo reddidit ore sonos :  
 7 "Quid quereris tantum ? Lacrimas quid fundis inanes ?  
 8 Num flendo credis fata movere Dei ?  
 9 Septima cum tanto transegi lustra labore :  
 10 fixus erat vitae terminus ille meae.  
 11 Omnia solvisti ; nihil est, Ugoline, relictum  
 12 quod pia sedulitas non mihi tradiderit.  
 13 Per septem attrivit corpus febris arida menses,  
 14 corporis ut numeres ossa peresa mei.  
 15 Quid fles ? Gaudendum est ! Mortali carcere liber,  
 16 pars nostri major, spiritus, astra petit.  
 17 Est aerumnosi plenissima vita laboris,  
 18 exposita innumeris daemonis insidiis.  
 19 Ille ego, quem flexit transversum nulla voluptas,  
 20 quae sum perpessus nocte dieque, miser !  
 21 Quid referam morbos et vitae mille dolores,  
 22 a me quos omnes abstulit atra dies ?  
 23 Arrisit sicui vultu Fortuna sereno,  
 24 mox illi adversas vertit, iniqua, rotas.  
 25 Expavi, fateor, mortis perferre dolorem,  
 26 neve animus Stygiis obrueretur aquis.  
 27 Praesidium magnum perdis, carissime frater,  
 28 sarcinaque est humeris congregata tuis.  
 29 Sic visum Christo est ; forsan meliora dabuntur  
 30 tempora, nec semper nubilus Auster erit.  
 31 Cuncta secunda dabit vobis concordia felix,  
 32 at contra magnas vertit Erinys opes.  
 33 Uxorem vobis commendo, ut caelibe vita  
 34 degat, et infantes nutriat illa meos.  
 35 Ipsa fidem cineri nostro servare recepit  
 36 et nullos post hac velle subire toros.  
 37 Dulcia discedens commendo pignora vobis :  
 38 istorum causa est tristior interitus.  
 39 Hos precor ut patrio, frater, tuearis amore ;  
 40 sic animus noster laetior astra petet."  
 41 Dixit, et amplectens ter circum colla pependit ;  
 42 ultima labentis verba fuere : "Vale".  
 43 "Quo fugis ?" exclamo ; "fratrem ne desere, frater !  
 44 Quo sine te pacto vita futura mea est ?"  
 45 Crudeles Parcae, florentis fila juventae

46 truncastis ! Sunt, sunt copia tanta senes !  
 47 Quis fuit in Tusco populo servantior aequi,  
 48 quem non ausus erat carpere livor edax ?  
 49 Cui tanta juveni mores probitate fuerunt,  
 50 Quis coluit tanta religione Deum ?  
 51 Inquirat livor totius tempora vitae,  
 52 obsceni quicquam si reperire queat !  
 53 Et talem juvenem mors invidiosa peremit !  
 54 Injecit diras lurida Parca manus !  
 55 Te, venerande pater, mors opportuna resolvit,  
 56 ne videas nati funera acerba tui.  
 57 Ipsa virum et caros vidit superesse nepotes,  
 58 natorum pompis contumulata parens.  
 59 At me servavit tanto Fortuna dolori,  
 60 dimidium, hei, vitae, frater adempte, meae !  
 61 O, utinam alterna, Ledaei ex more gemelli,  
 62 Petroti, possem te revocare nece !  
 63 Perferrem mortis pro te quodcumque periculum.  
 64 Quid loquor ? Ah ! nullis fletibus umbra redit.  
 65 Te sine nulla dies lacrimis immunis agetur,  
 66 Currentisque oculi fluminis instar erunt.  
 67 Ante oculos semper dilecti fratris imago  
 68 haeret ; nec somni, nec mihi cura cibi est.  
 69 Squalent inculti deserta volumina Carli ;  
 70 flet posita mecum tristis Apollo cheli.  
 71 Pertaesum vitae est ; macilento pallor in ore ;  
 72 omne mihi luctus sustulit officium.  
 73 Tu moriens caelum, felix germane, petisti ;  
 74 gratulor : ah, tecum nunc comes ire velim !  
 75 Frater honoratos jam jam visure parentes,  
 76 angelicos inter constituende thronos,  
 77 frater amate, vale ; caeli novus incola factus,  
 78 Petroti, aeternis jam fruiture bonis.

AD BERNARDUM ADIMARIUM, DE MORTE HYPPOLITAE, FORMOSISSIMAE PUELLAE.

E5\_07 v.1 Dum nos magnanimi victricia proelia Carli  
 2 scribimus, HYppolytae flevimus interitum ;  
 3 imbellesque elegos magnis miscere cothurnis  
 4 flebilibus suasit maesta Thalia modis.  
 5 Sed quoniam luctu fueras concussus acerbo,  
 6 hoc scriptum lacrimis misimus eulogium ;  
 7 Adimar, ante omnes nobis memorande sodales,  
 8 Verini carmen pignus amoris habe.

EULOGIUM IN OBITU HYPPOLITAE, PUELLAE PULCHERRIMAE.

E5\_08 v.1 Quis lucem ereptam tenebris miretur obortis ?  
 2 Causa patet cunctis : occidit Hippolyta.  
 3 Occidit Etrusci sidus splendorque decoris :  
 4 non mirum si nunc nulla serena dies.  
 5 Ingemuisse putem turbati sidera caeli ;  
 6 post obitum induxit nubilus Auster aquam.  
 7 Vidimus innumeris turgentia fletibus ora,  
 8 nullus et in tota non fuit urbe dolens.  
 9 Ipsa Venus fertur sparsis deflere capillis ;

10           exstinxitque faces et sine luce fuit.  
 11 Ipse Cupido suos fregit miserabilis arcus  
 12           et latebras tristis fugit ad Idaliae,  
 13 impiaque in saevas torsit convicia Parcas,  
 14           quae tantum Etruscis praeripuere decus.  
 15 Quid tibi nobilitas, viridis quid profuit aetas,  
 16           quid, rarum exemplar, forma, pudicitiae ?  
 17 Quid, quod eras miserae spes et solacia matri ?  
 18           Heu, vota incassum tot cecidere Deo !  
 19 Ipse autem scissa gemebundus veste maritus,  
 20           hinc Flametta parens stabat, inops animi :  
 21 Flametta infelix, fortunae exemplar iniquae,  
 22           Andromache, infelix, altera socrus erit.  
 23 Hinc implorabant lacrimosa voce sorores  
 24           numina, purpureas ungue secante genas.  
 25 Haud secus Heliades fraterno in funere largis  
 26           auxerunt tumidum fletibus Eridanum.  
 27 Stamina cum vitae perfringeret ultima Clotho  
 28           HYppolitae ac staret, falce secante comas,  
 29 tunc, vix attollens oculos in morte gravatos,  
 30           edidit extremos ore tremente sonos :  
 31 "O dulcis conjux, lacrimas compesce fluentes :  
 32           sic placitum Superis te superesse mihi.  
 33 Commendo natos nostri tibi pignus amoris  
 34           commune, et curae sit tibi nostra parens.  
 35 Hanc, precor, afflictam solare, et comprime fletum.  
 36           Quid ploras ? Numquid fata movere putas ?  
 37 Tu, Flametta parens, nimio confecta dolore,  
 38           mortalem Hippolytam te genuisse putes.  
 39 Divitiis felix natisque viroque fuisti ;  
 40           Ah, sors adversas movit iniqua rotas !  
 41 Pone modum lacrimis : perventum ad limina mortis ;  
 42           audio jam Stygiae murmura saeva ratis.  
 43 Me nulla exagitant vitiatae crimina mentis,  
 44           quod mea Tartareos horreat umbra lacus.  
 45 Pars nostri melior petet aethera ; reddite terrae  
 46           haec membra, hoc (inquam) reddite corpus humi.  
 47 Cura mei si vos post mortem tangit inanis,  
 48           scribantur tumulo carmina bina meo :  
 49 "Infelix proles, Nasi carissima conjux,  
 50           HYppolita hic tegitur ; lector amice, vale".  
 51 Cara parens conjuxque, vale, dulcesque sorores :  
 52           ecce, oculos mors nunc pervolat ante meos".  
 53 Ultima verba "Mei" clamarunt "Christe, memento ;  
 54           inque tuas animam suscipe, Christe, manus".  
 55 Sic igitur pereunt omnes ; juvenesque senesque  
 56           mors rapit, et cunctis imminet atra dies.  
 57 Non dum ter septem vitae compleverat annos ;  
 58           Heu, paucis fuerat mensibus illa minor.  
 59 Naturam genuisse nihil formosius usquam  
 60           crediderim ; in toto corpore nulla nota.  
 61 Vidimus in feretro (dormisse putaveris) illam ;  
 62           cuncta sibi prisca signa decoris erant.  
 63 Spiritus aethereas postquam secessit in auras,  
 64           Hippolitae levior non gravet ossa lapis.  
 65 In cineres hoc nulla dies putredinis expers  
 66           convertat corpus : sat cecidisse semel.  
 67 Et quisquis juxta transibit busta viator,

68 non pudeat lacrimis ora rigare piis,  
 69 dicat et : "Hyppolyta hic, quondam pulcherrima rerum,  
 70 clauditur, aetatis fama decusque suae."

EULOGIUM PAULI TUSCI, MEDICI AC MATHEMATICI PRAECLARISSIMI.

Ee v.1 Ergo nec ingenium, nec mores fata retardant,  
 2 sed vitae ac mortis stat sua cuique dies,  
 3 et pius et doctus moritur discrimine nullo :  
 4 ah, fati haec lex est imperiosa nimis.  
 5 Debuerat Paulus vita durare perenni,  
 6 et non communi condicione premi.  
 7 Hic rerum causas et caeli sidera norat ;  
 8 philosophum talem saecula rara ferunt.  
 9 Pythagorae ex solido statuam conflaverat auro  
 10 Graecia, et e pario marmore pyramidem,  
 11 quod rudibus populis geometrica signa parumper  
 12 ostendit ; quanto doctior iste fuit !  
 13 Illyricis Cous pestem praedixerat oris,  
 14 praesidium mittens discipulosque suos ;  
 15 ex quo divinos vivus suscepit honores  
 16 suntque illi tamquam condita templa deo.  
 17 Quin Asclepiades medicis Epidaurius herbis  
 18 irato meruit numen habere Jove.  
 19 Alma Ceres, primum frugum quod repperit usum,  
 20 quo scindatur humus tempore, quove meti,  
 21 sunt aedes illi et Cerealia condita sacra ;  
 22 inventaque olea facta Minerva dea est.  
 23 At Paulus Tuscus terram cognovit et astra,  
 24 et Ptolemaeum grande retexit opus ;  
 25 qui prospectivae formam depinxit et artem,  
 26 quo libro cunctis aequiperandus erit ;  
 27 qui Tuscos docuit quo sidere glaeba colonos  
 28 vertenda, et quae sit vitibus utilior.  
 29 Quid referam medica quos ille salutifer arte  
 30 extorsit manibus, lurida Parca, tuis ?  
 31 Adde quod in terris sine conjuge, caelibe vita,  
 32 angelicae vixit norma pudicitiae.  
 33 Et tamen hunc ausa est polluta attingere dextra  
 34 Atropos, et sacri claudere labra senis.  
 35 Ast animus certe est Libitinae jure solutus  
 36 et fruitur felix liberiore polo.  
 37 Docta per ora virum longo celebrabitur aevo  
 38 Paulus, ad extremum clarior usque diem.

EULOGIUM PHILELPHI POETAE, QUI NONAGENARIUS FLORENTIAE DIEM OBIIT.

E5\_10 v.1 Maeonium vatem flevit si pulcher Apollo,  
 2 luxit et ereptum Calliopea Linum,  
 3 nunc vos, Ausoniae nymphae Graiaequae Camenae,  
 4 exsequias docti concelebrate senis.  
 5 Egregias laudes vestri cantate Philelphi,  
 6 quo novit Graios Musa Latina modos.  
 7 Plurima traduxit nobis monumenta Pelasgum,  
 8 et noscenda suo multa labore dedit.  
 9 Quin enodavit Dantem tersique Petrarcae

10 explicuit varias ingeniosus odas.  
 11 Sfortiade cecinit victricia principis arma,  
 12 aemula magniloqui carmina Maeonidos.  
 13 Hic Chrysorhoram nostrum deduxit in orbem,  
 14 Ausoniis Graius sumitur unde liquor,  
 15 per quem nunc Itali, Graeco sermone disertis,  
 16 externis ornant floribus Oenotriam.  
 17 Nunc optata senis fuerat facundia vatis :  
 18 Socraticos libros expliciturus erat.  
 19 Crudeles Parcae, non vos reverentia cani,  
 20 non potuit Medicis flectere vos pietas.  
 21 Ecce, nepos illi reditum seniore sub aevo  
 22 concessit, Cosmo qui fuit exsul avo :  
 23 sed melius, quam si Insubrium cecidisset in oris,  
 24 qui vidit patriam post tria saecula suam.  
 25 Nec fuit ut quondam immitis Florentia Danti,  
 26 cujus honorati respuit ossa senis ;  
 27 provida magnanimi praevidebat cura senatus  
 28 egregius vates ne procul urbe cadat,  
 29 publicaue instituit docto salaria vati :  
 30 consuluit nobis, consuluitque sibi.  
 31 Sed quoniam nulli parcat fera Parca, sed omnes  
 32 aufert atra dies, docte Philelphe, vale.  
 33 Ibis ad aethereos lucos et amoena piorum,  
 34 laurigero vatium te comitante choro.  
 35 Accola, Nile, tui, sed noster origine civis,  
 36 praecedet, cecinit qui Stilichona ducem.  
 37 A dextra Dantes cinget levaque Petrarca,  
 38 Bocaciusque tuum pone sequetur iter.  
 39 His, inquam, pompis talique ornate triumpho,  
 40 ibis ad aethereos, docte Philelphe, polos.

LUCTUOSA CONQUESTIO IN FUNERE FRATRIS EJUS PETROTII DILECTISSIMI.

E5\_11 v.1 Funeream deprome lyram chordasque gementes  
 2 percute flebilibus, maesta Thalia, modis.  
 3 Flevit ut amissa Rhodopeus conjuge vates,  
 4 cantanti inferni cui patuere fores  
 5 (Bistoniae gemuere ferae, cum flebile carmen  
 6 ederet, et lacrimis intepuere nives) ;  
 7 flevit ut exstincto gemebundus Castore Pollux,  
 8 unde habuit Castor fratre precante polum ;  
 9 sic circum funus fratris, maerente Catullo,  
 10 Thespiadum maesti congemuere chori.  
 11 Conditus, ecce, jacet parva germanus in urna :  
 12 an lacrimas, Erato, continuisse potes ?  
 13 Et si perraro fletis, nunc flete, Camenae,  
 14 fratris et exsequias concelebrate mei.  
 15 Officio certate pio, lugubreque carmen  
 16 fundite : sunt lacrimis ora riganda piis.  
 17 Uberior veri numquam mihi causa doloris  
 18 exstitit : aeterne, frater adempte, vale.  
 19 Te numquam post hac visurus, pro dolor ingens,  
 20 dimidium ut vivam, dimidium ut moriar !  
 21 Ecce, tuus vates, squalentibus abditus umbris,  
 22 Calliope, maestis imbribus ora rigat.  
 23 Dicite funereis lugubria nenia rythmis ;

24 sunt, Musae, tristi fata canenda pede.  
 25 Deponas niveam vestem citharamque sonantem  
 26 et nigro auratam tegmine necte comam.  
 27 Non aliter venias, radiis nisi, Phoebe, relictis,  
 28 ceu cum Paeonio funere maestus eras.  
 29 Laetitia nullus locus est ; stat vestibus atris  
 30 fraterni Luctus funeris ante fores.  
 31 Hinc dolor, hinc lacrimae comites, scissisque capillis  
 32 feminei plangunt pectora nuda chori.  
 33 Occidit exemplar juvenum castique decoris,  
 34 quem minime potuit carpere livor edax.  
 35 Nonne vides Paulum germani morte sepultum,  
 36 cui medicae in fratrem nil valuere manus ?  
 37 Ecce, ululat conjux, querebunda puerpera, lecto,  
 38 quae lacrimis posset saxa movere suis.  
 39 Heu, pia tot frustra ceciderunt vota sororum ;  
 40 o frater, nostrae nil valuere preces,  
 41 non lacrimae infantum, non ora sonantia patrem ;  
 42 quo miseros linquis nos, moriture, loco !  
 43 Illo quo moreris puncto, tibi nata puella,  
 44 ut cruciet matris pectora poena duplex.  
 45 Aeternum, germane, vale ; te gloria caeli,  
 46 nos labor et luctus, cura dolorque manet.

VISIO HYPOLITAE DEFUNCTAE, QUAE OMNIUM CASTISSIMA ET PULCHERRIMA FUIT.

E5\_12 v.1 Aestus erat mediusque dies, cum torret anhelos  
 2 saeva Cleonei stella leonis agros.  
 3 Populea irrigui recubabam ruris in umbra,  
 4 et solum mecum Calliopea fuit.  
 5 Dum fera magnanimi limamus proelia Carli  
 6 extremamque manum grande requirit opus,  
 7 ecce mihi ante oculos miri splendoris imago  
 8 fulsit, et emisit lumen opacus apex.  
 9 Aethereis cecidisse plagis juraveris astrum :  
 10 non hominis, certe forma erat illa deae.  
 11 Tunc vero attonito doctissima Calliopea :  
 12 "Hippolyta haec" inquit "carmine dicta tuo est ;  
 13 Hippolyta illa, tuis multum celebrata libellis,  
 14 ad te siderei venit ab axe poli,  
 15 archetypum formae, non enarrabile munus :  
 16 ne pudeat magno te cecinisse pede.  
 17 Haec est naturae exemplar ; praeconia formae  
 18 carmina erunt, serae posteritatis opus.  
 19 Aspice sidereos, radiantia lumina, ocellos,  
 20 sit quanta admixtus cum gravitate nitor ;  
 21 inspice flaventes per eburnea colla capillos,  
 22 ut brevis effusam ventilet aura comam ;  
 23 ut parvi, ut nitidi dentes candore nivali,  
 24 composito ut niteat risus in ore decens !  
 25 Huic Charites nostrae comites cessere Venusque,  
 26 Trojano quamvis iudice prima dea est.  
 27 Respice ut incedat nullo per gramina fastu,  
 28 qualis Juno suo cum Jove carpit iter.  
 29 Quicquid habet natura boni, congegit in ista ;  
 30 quod carpat quicquam non habet Invidia.  
 31 Saepe pudicitiae forma est contraria ; pulchris

32 ceu commune malum fastus inesse solet.  
 33 Hippolyta at, quamvis forma superaverit omnes,  
 34 ingenio miti tum sine labe fuit,  
 35 ut nulli non cara foret ; licet exsule tota  
 36 prole patrum, cunctis grata puella fuit.  
 37 Et merito aeterni per me referentur honores,  
 38 et tibi me propter fama perennis erit."  
 39 Haec ubi Calliope dixit, pauca ore trementi  
 40 in me oculos flectens rettulit Hippolyta :  
 41 "Carmine quanta tuo dederis praeconia nobis  
 42 tu scis, haud meritis praemia tanta meis.  
 43 Quis referet tali dignas pro carmine grates ?  
 44 Per te, Verine, est vita secunda mihi.  
 45 Carmina Lethaeis homines a fontibus arcent ;  
 46 fertur in his Atropos juris habere nihil.  
 47 Per te forma mihi longo memorabitur aevo  
 48 et laesit nomen fabula nulla meum ;  
 49 jamque vale". Dixit dextramque extendit et inde  
 50 in tenues labens vertitur umbra Notos.

EULOGIUM APOLINARIS PAPIENSIS, PHILOSOPHI AC MATHEMATICI DOCTISSIMI.

E5\_13 v.1 Omnia tempus edax consumit et aucta senescunt ;  
 2 at non ingenio fama nocere potest.  
 3 Quicquid compositum est, mors imperiosa resolvit ;  
 4 virtus est simplex, ergo perennis erit.  
 5 Diruta vix exstant dominorum saxa Quiritum,  
 6 speluncaeque instar Roma sepulta jacet.  
 7 Quis mihi monstrabit celsas Carthaginis arces  
 8 Persarumque urbem ? Quis Babylona mihi,  
 9 et centum portis clarissima moenia, Thebas ?  
 10 Accola vel Nili nesciet ipse locum.  
 11 Berosi et docti florebit fama Platonis  
 12 dum pontus pisces, dum vehet astra polus.  
 13 Gloria virtutem sequitur, nec fama sonora  
 14 tardatur, velut est corporis umbra comes.  
 15 Ergo eris aeternus fama, Polinaris, et omni  
 16 docta per ora virum tempore clarus eris.  
 17 Quis procerum natis Tuscorum sidera pandet,  
 18 quae bona, quae contra sit fugienda dies ?  
 19 Quis poterit rerum occultas inquirere causas ?  
 20 Euclidem quis nunc expliciturus erit ?  
 21 Quis logices gyros, perplexa aenigmata, solvet ?  
 22 Pisanum infelix, vae tibi, gymnasium !  
 23 Nestorei plorent iterum sine fine coloni :  
 24 nam sors est vestris invidiosa bonis.  
 25 Vos Florentinus tali doctore Senatus  
 26 ornarat, qualem saecula rara ferunt.  
 27 His quamquam egregium virtutibus abstulit una  
 28 de tribus, arruptis lurida Parca colis.  
 29 Dic, precor, insignes Polinaris carmine laudes  
 30 et vati faveas, pulcher Apollo, tuo.  
 31 Ipse tuas artes medicus, tua nomina vates,  
 32 ipse tuos mores et tua facta refert.  
 33 Eripe Lethaeis decus immortale tenebris ;  
 34 duret ad extremum gloria longa diem.  
 35 Calliope, vestrum est fama donare perenni



36 aeternum ingenio qui meruere decus.  
 37 Ante retrocedent mutato sidera cursu,  
 38 arebit sicco pulvis in Oceano,  
 39 inclyta quam pereat doctorum fama virorum :  
 40 post mortem crescit multiplicatus honos.  
 41 Vulnificus moritur subito post funera livor ;  
 42 virtutis vero fama perennis erit.  
 43 Sed ne forte suum veniens incuria nomen  
 44 ignoret, talis marmore versus erit :  
 45 "Qui rerum causas norat Polinaris et astra,  
 46 hic situs est : paulum siste, viator, iter."

EULOGIUM ALBIERAE, PUELLAE FORMOSAE ET CASTAE,  
 AD SIGISMUNDUM EJUS VIRUM

E5\_14 v.1 "Desine, care, precor, lacrimas effundere, conjux ;  
 2 Jam Parcae nobis ultima fila legunt.  
 3 Mors sua quemque manet, mortales nascimur omnes ;  
 4 omnibus est natis atra videnda dies.  
 5 Non licuit tecum fatalem explere senectam  
 6 legitimoque toro pignora cara dare,  
 7 sed subito, ante diem, teneris exstincta sub annis,  
 8 aethereos scandam, virgo pudica, toros,  
 9 antea quam sacris taedis et lumine claro  
 10 conjugium nostrum percelebraret Hymen.  
 11 Ante omnes, veneranda parens genitorque, valete,  
 12 oraue nec lacrimis maesta rigate piis.  
 13 Non inter Danai trudar rimosa puellas  
 14 ut repleam nigris dolia semper aquis ;  
 15 non ego Sisyphiam molem scopulosque cadentes  
 16 horrescam et strepitus, saeva Megaera, tuos ;  
 17 Non aliae Eumenides, cinctae serpentibus atris,  
 18 aeterno quatient pectora nostra metu ;  
 19 non alias scelerum poenas, quas Gnessius Orci  
 20 arbiter infringit, cum luit umbra nefas :  
 21 haec maneant sontes Ditis loca taetra puellas ;  
 22 non facit ad mores impia terra meos.  
 23 Est locus in caelo platanis lauroque virenti  
 24 nobilis, et tenuis ventilat aura nemus.  
 25 Illic virginei cantus castaeque puellae  
 26 concelebrant laudes, diva Maria, tuas ;  
 27 quo meus exemptus terrestri carcere tendet  
 28 spiritus, ut vita jam meliore fruar."  
 29 Haec dicens, animam tenues eflavit in auras  
 30 et matris moriens concidit illa sinu.  
 31 Nec jam purpureo rubuerunt membra nitore,  
 32 sed gelida infecit pallidus ora color.  
 33 Non aliter verni languescunt grandine flores  
 34 quos niger horrendis contudit imber aquis.  
 35 Vix tribus haec unum lustris adjunxerat annum ;  
 36 huic tamen injecit lurida Parca manus.  
 37 Quid tibi nobilitas, quid opes, quid forma, quid aetas  
 38 profuit ? Heu, morti subdita cuncta jacent.  
 39 Tecum omnis periit splendor formaeque venustas,  
 40 Albiera, Etruscae nobilitatis honos.  
 41 In te connessit quicquid Venus aurea, quicquid  
 42 Pallas habet, quicquid Juno superba boni ;

43 cui pater Albitius, Romana ex stirpe creatus,  
 44 cui Soderina parens, nobile utrumque genus.  
 45 Invidit Fortuna tibi, Parcaeque malignae  
 46 fregerunt ruptis stamina nigra colis.  
 47 Ast Erato, ut talem sensit cecidisse puellam,  
 48 sustulit e cultis laureaserta comis.  
 49 Pegasidum tum forte choros ducebat ovantes  
 50 Hippocreneis qua fluit unda jugis.  
 51 Sed, ne tunc merito fraudaret honore puellam,  
 52 defunctae ut dignas conferat inferias,  
 53 insigni tumulum titulo signavit inanem,  
 54 ventura ut posset noscere posteritas,  
 55 impressitque duos nativo in marmore versus,  
 56 Pegaseae stillat qua sacer humor aquae :  
 57 "Albiera hic posita est, longe pulcherrima rerum,  
 58 cui fuerant mores nobilitate pares".

AD ILLUSTRISSIMUM MATHYAM, REGEM PANNONIAE.

E5\_15 v.1 Siqua tuas aures novitate vocabula laedunt,  
 2 da veniam : poterant non secus ista cani.  
 3 Primus ego Aonio, princeps, de vertice Musas  
 4 deduxi, ut Christi numina sacra colant.  
 5 Plurima mordaci delevis carmina lima,  
 6 ut stet inoffensus religionis honor.  
 7 Cantavi aeterni genus innarrabile Christi,  
 8 quoque modo fuerit virgo Maria parens ;  
 9 ut se sponte dedit tortoribus, ut cruce passus,  
 10 sanguine qui lavit crimina nostra suo.  
 11 Scripsimus heroum felicia funera Christi,  
 12 sanguine qui caelum commeruere suo.  
 13 Hos ego laudavi : reddent mihi praemia, reddent  
 14 cum stabo aeterni iudicis ante thronum.  
 15 Simonides Scopam ditem laudavit et ambos  
 16 Tyndaridas : quis nam praemia plura dedit ?  
 17 Scilicet hi : vitam conservavere poetae ;  
 18 argenti Scopas bina talenta dedit.  
 19 Quid fore confido, si prosunt numina falsa ?  
 20 An Christi heroes dona minora dabunt ?  
 21 Haec est materies nostri, rex magne, libelli :  
 22 heroum gestis gloria mixta tua est.

EPIGRAMMATUM LIBER SEXTUS.

E6\_01 v.1 Dum geris armipotens variis bella horrida terris,  
 2 admonui ne te carmina nostra petant ;  
 3 laeta serenatae sed quaerant otia mentis,  
 4 pectus ut insinuet nostra Thalia tuum.  
 5 Jam liber hic sextus, quo perrexere priores,  
 6 ad te tam longum per mare carpit iter.

7 Hei, vereor ne sit nimium mea turba molesta !  
 8 Cur plures mitto, cui satis unus erat ?  
 9 Quid faciam ? Attraxit nostros tua fama libellos ;  
 10 ad te, jam video, septimus ire volet !  
 11 Cum vacat a rebus, princeps invicte, gerundis,  
 12 tunc reseres nostris regia tecta libris.  
 13 Carmina nostra legat tecum regina Beatrix,  
 14 cum tibi tranquillae gaudia pacis erunt.

GRATULATIO DE MAUMETTIS HERESIARCHAE RUINA ET TEMPLO SUO COMBUSTO  
ET UNIVERSALIS JUDICII HORRENDO ADVENTU.

E6\_02 v.1 Tandem clara dies fulsit ceciditque nefandi  
 2 impia Maumettis caelitus igne domus,  
 3 sacrilegique arcam Stygias sacer ignis in undas,  
 4 ne quid depereat, mersit et ossa simul.  
 5 Christicolae exsultent ! Noscat gens barbara Christum,  
 6 cui soli caeli contribuendus honor.  
 7 Perfidiam deponat Arabs mollisque Canopi  
 8 accola, et ad Christum, perfide Maure, redi.  
 9 Quid plura exspectas sanctae miracula legis ?  
 10 Quae te tam stolidum detinuere morae ?  
 11 Quid facis, eversor Danaum ? Depone furorem  
 12 et cole cui paret terra polusque, Jesum.  
 13 Nil Evangelio legitur divinius usquam,  
 14 quod mira tersum simplicitate nitet.  
 15 Quae sunt ardentis charitatis fulmina Pauli !  
 16 Nec mirum : electum vas fuit ille Dei.  
 17 Socraticos licet incumbas relegasque libellos,  
 18 non poteris sacris aequiperare libris.  
 19 Proh caecas hominum mentes, proh nescia veri  
 20 pectora : Maumetti templa dicavit Arabs !  
 21 Quid sibi sacrilegi poscunt figmenta tyranni ?  
 22 Perlegite : his quicquam turpius esse potest ?  
 23 Quid nisi terrenum spondet sua sacra colenti ?  
 24 Hac hominum illusit callidus arte genus,  
 25 pronaque lascivis cum sint mortalia rebus,  
 26 nequitiae solvens libera colla dedit.  
 27 Si quid, quod rarum est, populis praecepit honesti,  
 28 hoc totum e nostris carpserat ante libris.  
 29 Inventumque suum non est, sed plurima sumpsit,  
 30 quae scriptis fecit deteriora suis.  
 31 Heresis ista quidem est ; Manichaeus finxerat illa,  
 32 cum dixit Christum non potuisse mori.  
 33 Unde crucem exhorret carpitque cruore redemptos,  
 34 et delirantis somnia fingit anus.  
 35 O stulti, dominum tandem cognoscite Christum !  
 36 Quo vos usque doli, quae tenuere morae ?  
 37 Si primo venit pauper, sub imagine servi,  
 38 mox majestatis signa videnda suae :  
 39 descendet caelo, toto comitante triumpho ;  
 40 sidereo in solio conspiciendus erit.  
 41 Tunc tuba terribilis, tunc saevo archangelus aere  
 42 flabit, et a Stygiis umbra recedet aquis.  
 43 Ossaque cum nervis iterum compacta resurgent,  
 44 et quae pulvis erat jam caro rursus erit.  
 45 Quisque suum accipiet corpus priscamque figuram,

46           atque animus rursus corpore junctus erit.  
 47   Impius in terra restabit, in aethera justus  
 48       obvius accedet, tam leve corpus erit.  
 49   A dextra electae gentes levaeque nefandae  
 50       stabunt ante Dei iudicis ora sui.  
 51   Tunc cernes miseros reges cum plebe jacentes ;  
 52       stabunt maerentes et sine honore duces.  
 53   Formidanda dies, cum iudex ore tonabit :  
 54       "I procul in Stygios, turba nefanda, lacus !  
 55   Vidistis quotiens brumali frigore nudum  
 56       aridaque ora siti pallidaque ora fame !  
 57   Cum vobis plenum penus et granaria plena  
 58       essent, clausistis munera pauperibus,  
 59   horrea crudeles mihi vos clausistis et arcam :  
 60       nunc vos aeternis ignibus afficiam."  
 61   At contra laeta facie vultuque sereno  
 62       ad dextram flectet conspicietque bonos :  
 63       "En agite, electi, mecum conscendite caelum,  
 64       ut capiat felix centupla dona labor.  
 65   Servastis praecepta mea et pavistis egenos :  
 66       nunc ego promissis uberiora dabo.  
 67   Vos fidi fortesque mihi, mea signa secuti,  
 68       vicistis durae proelia militiae.  
 69   Quid, consummato vitae certamine, restat,  
 70       ni dare militibus praemia digna meis ?  
 71   Empyreii emeritis sublimis regia caeli  
 72       debetur vobis et sine fine decus."  
 73   Haec dicens, repetet cunctis cernentibus astra ;  
 74       mox electa simul turba sequetur iter.

PAULI GLACETI FLORENTINI PRESTANTISSIMI CIVIS EPITAPHIUM.

E6\_03   v.1   Hic situs est Paulus, Glaceti clara propago,  
           2       ingenio clarus, clarus et eloquio,  
           3       Cui morum probitas fuit et prudentia velox,  
           4       cui tribuit summos Curia Tusca gradus.  
           5       Quin et seraphici Francisci incensus amore,  
           6       despexit pompas purpureosque toros.  
           7       Servili moriens operiri corpora sacco,  
           8       quodque fuit terrae reddere jussit humi.

EULOGIUM IN OBITU LUCRETIAE TORNABONAE, LAURENTII MEDICIS MATRIS,  
AD LAURENTIUM MEDICEM.

E6\_04   v.1   Inmortale decus Medicum, Lucretia mater  
           2       occidit ; exsequias, femina virque, feras.  
           3       Haec communis erat Tusci matrona leonis,  
           4       feminei sexus gloria, fama, decus.  
           5       Tu pia, tu clemens, tu religiosa fuisti ;  
           6       quis te pauperibus munera plura dedit ?  
           7       Ad te ceu portum tranquillum turba fluebat,  
           8       confugium afflictis praesidiumque reis.  
           9       Cui fuit in tantis opibus clementia major,  
          10       cui faciles aditus tristitiaequae minus ?  
          11       Nec mens intumuit rebus sublata secundis,  
          12       sed cunctis omni tempore mitis erat.

13 Siqua potest felix dici, Lucretia felix  
 14 moribus, ingenio, nobilitate fuit.  
 15 Hujus fila tamen truncavit ferrea Cloto,  
 16 injecitque atras lurida Parca manus.  
 17 Quid sibi, quod magni fuerat nurus inclyta Cosmi,  
 18 quid sibi Laurenti profuit esse parens ?  
 19 Quid Petrus ille nepos, prudens puerilibus annis,  
 20 tam clara magnis indole dignus avis ?  
 21 Quid sibi Pierides, quarum perculsa furore  
 22 edidit Etrusco carmina multa pede  
 23 (inter enim molem rerum, cum principe nato  
 24 concinuit dulces ore canente sonos) ?  
 25 Huc descende, precor, nigro velamine, Phoebe ;  
 26 defle tuae vatis triste ministerium.  
 27 Haec non inferior fuerat charitate Mathildi ;  
 28 victatis quotiens munera quanta dedit !  
 29 Incola cum magni nunc sit Lucretia caeli,  
 30 orat pro patria supplice voce Deum,  
 31 ut felix vinctos teneat concordia cives,  
 32 dum vivat similis filius ut sit avo,  
 33 ut faveat justis tollatque ex urbe superbos :  
 34 sic erit occultis tutus ab insidiis.  
 35 Magnanime, interea, Medices, compesce dolorem,  
 36 ut possis patriae consuluisse tuae,  
 37 ut senior cara caelum cum matre revisas  
 38 post tria Dictaei saecula tarda senis.  
 39 Neve suum tollant Lethaea obliviam nomen,  
 40 scripsimus in tumulo carmina bina suo :  
 41 "Hic sita Laurenti Medicis Lucretia mater,  
 42 cui pietatis honos unica cura fuit."

AD PUCCIUM JURISCONSULTUM, DE OBITU VICTORIS PUCCINI.

E6\_05 v.1 Mittimus eulogium Victoris, flebile carmen :  
 2 te prima incipiet fronte ferire dolor ;  
 3 carmine mox lecto, maeror procul omnis abibit :  
 4 utile sic maestis insinuare fuit.

EULOGIUM IN OBITU VICTORIS PUCCINI EJUS AFFINIS,  
AD PUCCIUM JURIS CONSULTUM.

E6\_06 v.1 Puccini merito Victoris funus acerbum  
 2 te premit ; et nobis est quoque luctus edax.  
 3 Flebilibusque elegis aliquod solamen adempti  
 4 ut scribam hortaris ; me quoque cura premit :  
 5 parebo tamen, officio superante dolorem,  
 6 sunt quamquam laetae carmina mentis opus.  
 7 Conquerar an sileam juvenem sine crimine raptum ?  
 8 Debuit hoc, Lachesis, non licuisse tibi.  
 9 Triginta implebat paucis vix mensibus annos,  
 10 truncavit medios cum fera Parca colos.  
 11 Cui juvenum probitas fuit et constantia talis  
 12 rebus in adversis, tanta in amore fides ?  
 13 Novi ego quis quotiens magno discrimine vitae  
 14 praesidium afflictis clamve palamve tulit !  
 15 Non tamen haec pietas unam sibi contulit horam,

16           sed medio cursu est obruta navis aquis.  
 17 Vivunt cornices, vivunt tot saecula cervi  
 18           quasque piget multae me numerare ferae :  
 19 ast hominem spatio natura inclusit iniquo,  
 20           cum posset virtus enituisse magis.  
 21 Ah, cur usuram vitae mortalis ademptam  
 22           deflemus, quae mox interitura foret ?  
 23 Est patria in caelo, peregrini hic vivimus omnes :  
 24           quo brevior cursus, tutior esse solet.  
 25 Ast ubi Puccinus Parcas sua fila secantes  
 26           et finem vitae vidit adesse suae,  
 27 suspirans tollensque oculos in morte natantes  
 28           edidit extremos ore tremente sonos :  
 29 "Hactenus, o dulcis conjux carique sodales !  
 30           Quid fletis ? Vitae est terminus iste meae.  
 31 Serius aut citius, mortales nascimur omnes ;  
 32           altera post mortem vita perennis erit.  
 33 Quid ploras, Isabella ? Vale, dulcissima conjux !  
 34           Quid laceras pectus dilaniasque comas ?  
 35 Restarent saltem, communia pignora, nati  
 36           ante obitum de te, ne domus orba foret !  
 37 Vive memor nostri, licet altera taeda jugalis  
 38           te liget ; at noster sit tibi cura cinis,  
 39 Inferiasque meo tumulo fer pectore mundo  
 40           et dicas : "Primus vir fuit iste meus."  
 41 Mox, circum lectum maestos ut vidit amicos,  
 42           turgidaque aspexit fletibus ora piis,  
 43 nomine quemque, suo lingua moriente precatus  
 44           ne fleat, at longo tempore duret amor :  
 45 "Vivite felices ! Luctum compescite ; nam pars  
 46           vobiscum nostri magna superstes erit."  
 47 Haec dicens, animam fugientem reddidit astris ;  
 48           vix "Verine" inquit frigida lingua "vale !"  
 49 Quod, siquid certi promittere possumus, ille  
 50           nunc fruitur felix liberiore polo.  
 51 Nos, rerum ignari, sortem damnamus iniquam,  
 52           fundimus immerito verba nefanda Deo.  
 53 Quid non longa dies vidit, perpessa, malorum ?  
 54           Et nos felices credimus esse senes !  
 55 Qui si longaevi superasset Nestoris annos,  
 56           vertenda in cineres ruga senilis erat.  
 57 Corporis hic igitur tenebroso a carcere liber,  
 58           possidet aetherei regia tecta Dei.

EULOGIUM IN OBITU ANDREAE SACERDOTIS OMNI SANCTIMONIA PRAEDITI,  
AD PETRUM VICTORIUM.

E6\_07   v.1   Et merito tristis turbat tua pectora maeror :  
           2           nam flere officium quis neget esse pium ?  
           3 Eripitur nobis tam sanctus, Petre, sacerdos,  
           4           et lacrimas taetrici fundere turpe putant ?  
           5 Occidit exemplar cleri sanctique pudoris ;  
           6           occidit, heu, nostrae religionis honos.  
           7 Quo, memorande, tuas percurram nomine laudes,  
           8           Andrea ? Major sit, precor, ore sonus,  
           9           ut breviter referam celebris compendia vitae,  
 10           fama licet nomen sparserit ipsa suum.

11 Flaminiae natus, nostram delatus in urbem  
 12 ostendit qualis vita futura sibi.  
 13 Indole tam clara dederat lactentibus annis  
 14 egregii ac sancti candida signa viri.  
 15 Nil puerile gerens, ludis trochisque relictis,  
 16 cum senibus justis fana frequenter adit.  
 17 Nec vaga per pictum flectebat lumina templum,  
 18 sed mentem in solo fixerat ille Deo.  
 19 Divinos psalmos miro discebat amore,  
 20 quicquid et arcanum pagina sacra docet.  
 21 Nil cocti gustans, nisi sola legumina Pasce  
 22 tempore, deliciae poma fuere suae.  
 23 Mox pane et vino abstinuit, Hieronymus alter :  
 24 expulit unda sitim, depulit herba famem.  
 25 Nec mirum : caelestis amor rapiebat ad astra,  
 26 quem Deus implebat nectare et ambrosiis.  
 27 Somni parcus erat, paleae sibi pluma manipulus  
 28 aut siccae flondes lectus opimus erat.  
 29 Stramineam pallam setis horrentibus artus  
 30 induit : haec omni tempore vestis erat.  
 31 Ut fugeret fastus urbisque frequentia tecta,  
 32 umbriferi petiit saxa peresa jugi.  
 33 Antra cavernosi coluit dumosa Clumaggi :  
 34 credas aspectu numen habere locum.  
 35 Turba frequens, illum silvis dum quaerit in aspris,  
 36 ferventem solem pertulit atque nivem,  
 37 et non inmerito : placida nam quisque redibat  
 38 mente domum, quamvis venerit ante dolens.  
 39 Quippe gravis placidis inerat reverentia dictis ;  
 40 quaecumque admonuit, fecerat ille prius.  
 41 Ut culpa careant, hoc unum saepe monebat,  
 42 ne brevia aeternis praeposuisse velint,  
 43 ut fugitiva volent mortalis gaudia vitae,  
 44 humanis solidi rebus inesse nihil.  
 45 Me quoque cum cara venientem conjuge tecto  
 46 accepitque suo laetus in hospitio,  
 47 multaque jucundis praecepta salubria verbis  
 48 e sacris nobis protulit eloquiis.  
 49 Heu, qualem infelix amisit Etruria patrem !  
 50 Heu, quot, dum vixit, causa salutis erat !  
 51 Nunc errant instar pecudum pastore perempto  
 52 Tartareisque jacet praeda petenda lupis.  
 53 Septembris nonae miseris luxere nefastae,  
 54 quae talem nobis eripuerunt virum.  
 55 Cur sanctos durae rapit inclementia mortis ?  
 56 Falce malos una demetit atque bonos.  
 57 Perfidus ingrati si quicquam carpere daemon  
 58 audeat, et vitae tempora tota legat :  
 59 sic omni Andreas fuerat virtute probatus,  
 60 ut nullum huic ausim praeposuisse virum.  
 61 Antra licet Nitriae peragrem et deserta Canopi,  
 62 huic ego perpaucos aequiperabo patres.  
 63 Tu nunc Empyreii felix in culmine caeli  
 64 coepisti factis praemia digna tuis.  
 65 Sis memor, Andrea, nostri, Christumque memento  
 66 orare, errori parcat ut ipse meo,  
 67 ut consors fiam superi post funera regni :  
 68 vel minimus, sat erit, si locus ullus erit.

GRATULATIO DE LIBERATIONE CAPTIVITATIS PACTIANAE  
 ET DE CLEMENTIA SENATUS FLORENTINI,  
 AD BERNARDUM ADIMARIUM.

E6\_08 v.1 Non ita sanctorum gavisus est turba parentum,  
 2 evulsae inferni cum cecidere fores,  
 3 cum solis radios ipsumque videre Tonantem  
 4 contigit, et caecum deseruere Chaon,  
 5 quam modo carceribus laetata est Pactia proles  
 6 exempta ac superis reddita luminibus.  
 7 Sic perhibent fractis gavisum Thesea vinclis  
 8 cum Stygio Alcides traxit ab amne canem.  
 9 Jure pium laudant Medicem mitemque Senatum,  
 10 quod fuerit clemens hostibus ille suis.  
 11 Lubrica sors hominum attollit reprimitque vicissim  
 12 imperium et volucres imperiosa rotas.  
 13 Disce modum in rebus jam nunc servare secundis :  
 14 et felix cum sis, tu miser esse potes.  
 15 Nec vos concutiat vultu Fortuna minaci :  
 16 non semper nigris Africus urget aquis.  
 17 Interdum spirare Aquilo solet axe sereno,  
 18 pellit et adverso flamine saepe Notos.  
 19 Nec vos, Italiae profugi, quod linquitis oras  
 20 terreat : est alibi vestra petenda salus.  
 21 Mitigat ipsa dies irati corda leonis ;  
 22 at non flectentur pectora blanda virum ?  
 23 Quod si etiam reditum in patriam Fortuna negarit,  
 24 jacturam brevis hanc temporis esse reor.  
 25 Nil desperandum, sed supplice voce rogandum :  
 26 principis assidua flectitur ira prece.

IN CELEBRITATE CONCEPTIONIS GLORIOSAE VIRGINIS MARIAE.

E6\_09 v.1 Hac concepta die caeli regina Maria,  
 2 hac hominum spes est, hac sata luce salus.  
 3 Quis non laetitiae cunctas effundet habenas,  
 4 Virginei fetus annua sacra colens ?  
 5 Felices taedae flammis arsere coruscis :  
 6 felix ante omnes Virginis Anna parens,  
 7 felices thalami ! Quae concepere Mariam,  
 8 in cujus fusa est manna superna sinu.

IN HONOREM NATALIS BEATAE MARIAE VIRGINIS  
 EX REGIO SEMINE DAVIDIS EX TRIBU JUDE.

E6\_10 v.1 Inclyta progenies, numero ex stemmate regum,  
 2 natalis nunc est, virgo Maria, tuus.  
 3 Hunc, caeli regina, precor, concede laborem,  
 4 ut laudes dicant carmina nostra tuas.  
 5 Non est fas quemquam perferre hac luce repulsam ;  
 6 natali tristem non decet esse tuo.  
 7 Certatim seraphin ductans cherubique choreas  
 8 alterno quatiunt sidera pulsa pede.  
 9 Ipsi purpurei heroes auroque nitentes



10           accedunt plenis ad tua tecta viis.  
 11 Ipsa autem summi majestas regia Christi  
 12       suscepit matrem proximior trono,  
 13 jussit et advulsis aperire palatia portis  
 14       donaque promissis uberiora dedit.  
 15 Spiritus ipse Sacer, Pater, una potentia, Natus  
 16       congeminant hodie munera caelicolis.  
 17 Regius imprimis, cujus de stirpe Maria est,  
 18       assumpta cithara personat ore David ;  
 19 concordans cum voce lyram, mirantibus astris,  
 20       concinit aeterni mystica facta Dei,  
 21 ut genus humanum superi clementia Regis  
 22       diligat : "Ex pura virgine factus homo est.  
 23 Quae genitura Deum, decuit sine sordibus ortam  
 24       et non communi condicione premi.  
 25 Esto procul nobis, quisquis contraria sentis ;  
 26       sic sentire pium credimus officium.  
 27 Haec est illa meis multum cantata libellis,  
 28       educenda meo florida virgo sinu.  
 29 Exspectata diu, tandem formosa columba  
 30       aeterno veniet complacitura Deo,  
 31 humanas lotura notas ac cassa superbis  
 32       impletura novis sidera caelitibus.  
 33 Sume lyram, Seraphin, caeli Regina canenda est ;  
 34       Tu, major vates, digna referre potes.  
 35 Altiloqua cantanda tuba magnisque cothurnis,  
 36       carmina divinis sunt recitanda modis."  
 37 "Haec primum caeli ferrata repagula solvit ;  
 38       Virginis ante ortum clausus Olympus erat.  
 39 Rarus erat per tot deserta palatia civis ;  
 40       concessusque homini non erat ante polus.  
 41 Incola mox caeli est homo subfragante Maria  
 42       ascenditque tronum, corrui unde Satan.  
 43 Ascendere humiles homines, cecidere superbi :  
 44       haec lex aeterno est constabilita Deo.  
 45 Se Domini ancillam respondit virgo Maria,  
 46       et non caelesti facta superba toro est.  
 47 Ipse Deus (quid enim majus ?) sub imagine servi  
 48       delituit, cunctis subditus esse volens :  
 49 ut tu mortalis folles flatusque remittas,  
 50       Virginis exemplo mitior esse velis.  
 51 Haec ancillarum turbis pompisque relictis,  
 52       praebebat nato sola ministerium,  
 53 custodique suae vitae, pia virgo, marito  
 54       servitii casti praebuit officium :  
 55 et fuerat Davidis regali ex semine creta,  
 56       et nulli forma virgo secunda fuit !  
 57 Siderei castum vibrabant lumen ocelli,  
 58       et tamen haec humili corde Maria fuit.  
 59 De nihilo terram verbo qui fecit et astra,  
 60       ventre novem menses virgo Maria tulit.  
 61 Nec fastu intumuit, sed suplex, paupere tecto,  
 62       ad vitae extremum mansit egena diem.  
 63 Tartara divitibus, caelum debetur egenis ;  
 64       qui placuere homini, displicuere Deo.  
 65 Quis poterit recte dominis servire duobus ?  
 66       Hostis erit Christo daemona quisquis amat !  
 67 Quisquis Olympiaci fieri vult incola regni,

68 natalem celebret, virgo Maria, tuum.

EULOGIUM IN LAUDEM ASSUMPTIONIS  
GLORIOSISSIMAE VIRGINIS DEI MATRIS MARIAE

E6\_11 v.1 Exsultet tellus hodie, laetentur et astra,  
2 cernere Reginam quae meruere suam !  
3 Christiparae Augusti venerunt Virginis idus ;  
4 haec est ante omnes lux veneranda dies.  
5 Haec est festa dies toto celeberrima caelo,  
6 qua Virgo in caelo gemmea sarta gerit,  
7 qua super angelicas est exaltata phalangas,  
8 culmine seraphici nobilitata troni,  
9 quam Deus aeterne sedem praelegerat illi.  
10 Non dum terrarum conditus orbis erat,  
11 Non dum siderei spatium admirabile caeli,  
12 Non dum telluris fixerat ipse globum ;  
13 haec illi prima sedes ab origine mundi  
14 a summo fuerat constabilita Deo.  
15 Aspiciam nullos tam sacra in luce dolentes,  
16 et vultu et puro gaudia corde data.  
17 I procul hinc, veterum lasciva licentia vatum :  
18 legitimo ornatur Virgo pudica toro.  
19 Haec niveis pennis, haec est formosa columba  
20 quae fuit intacta virginitate parens.  
21 Ex hac justitiae Christus sol unicus ortus  
22 et Deus et nostro est corpore factus homo.  
23 Tartareas tenebras, intercedente Maria,  
24 liquimus, et caeli jam patuere fores,  
25 quas damnosa patris clausurunt crimina primi ;  
26 reddidit haec quicquid sustulit Eva prius.  
27 Nunc sumus haeredes, nunc summi pignora patris  
28 dicimur : hoc nobis omne Maria dedit.  
29 Et merito Gabriel grates sibi congerit omnes,  
30 quae genitura hominem, quae genitura Deum est,  
31 verum hominem verumque Deum ; sub nomine Christi  
32 humani quiditas cum deitate fuit.  
33 Emmanuel genuit Virgo, qui virque Deusque :  
34 idem unus miris junctus uterque modis.  
35 Ille idem pontum terramque fecit et astra,  
36 ille idem caedem pertulit atque crucem.  
37 Qui petit Aegyptum, fugiens Herodia tela,  
38 hunc stella reges excoluere duce ;  
39 qui flevit cari mortem miseratus amici,  
40 ejusdem imperio reddita vita fuit.  
41 Obstupet ingenium miracula credere tanti  
42 mysterii, quae sunt lucidiora die.  
43 Hanc celebrate, precor, mortalia pectora, lucem  
44 qua vobis caeli fulsit ab axe jubar.  
45 Haec, inquam, pulsus vera est aurora tenebris,  
46 dirigit ut caecum Cynthia noctis iter.  
47 Haec gracilis virgo est, panchaei virgula fumi,  
48 semper divinis attenuata sacris ;  
49 deliciae caeli, paradisi floridus hortus,  
50 fons vitae unde fluit vena perennis aquae.  
51 Cedrus ut in Libano ramos ad sidera tollit  
52 utque Venafreis floret oliva jugis,

53 ut frondent Hierici biferique rosaria Paesti,  
 54 ut platanus juxta flondet Orontis aquas,  
 55 sic virgo innumeris caelum virtutibus ornat,  
 56 longe seraphicis anteferenda tronis.  
 57 Quippe parens meruit supremi numinis esse,  
 58 tanta sibi charitas simplicitasque fuit.  
 59 Hanc sacri totiens nobis cecinere prophetae,  
 60 ex qua rex caeli concipiendus erat.  
 61 Lilia virginei porrexit signa pudoris  
 62 virgineus castae nuntius ipse Dei.  
 63 Ut superat caeli heroas virtute Maria,  
 64 sic longe est cunctis sanctior ista dies.  
 65 Hoc ausim jurare : genus mortale perisset,  
 66 pro nobis supplex ni pia virgo foret.  
 67 Credite, non cessat justum placare furorem  
 68 iratumque tenet voce precante Deum,  
 69 ne Phaethonteis perdat mortalia flammis,  
 70 neve iterum mergat Deucalionis aquis ;  
 71 pronaque nequitiae mortalia pectora suplex  
 72 excusat, tantis illaqueata dolis ;  
 73 uberaque ostendit nato, lacrimisque minantem  
 74 emollit fuis sancta per ora piis.  
 75 Salve, virgo parens, caeli Regina supremi,  
 76 salve, sublimis gloria prima troni ;  
 77 salve, Phoebeo lampas rutilantior orbe,  
 78 salve, stella maris sidereumque jubar ;  
 79 alma Dei genitrix, intacto Virgo pudore,  
 80 salve, certa salus praesidiumque reis.  
 81 Votivis donis sint testes Virginis aedes  
 82 jam plenae : nulli, Diva, negare potes.  
 83 Quare, agite, o cuncti, tantae solemnia lucis  
 84 certatim officio concelebrate pio.

EPIGRAMMA IN SEPULCHRO GLORIOSAE VIRGINIS MATRIS DEI MARIAE.

E6\_12 v.1 Miraris vacuum monumentum Virginis esse,  
 2 quodque admixta rosis lilia saxa ferunt ?  
 3 Intus manna viret spiratque opobalsama marmor :  
 4 virgineum corpus vexit ad astra Deus.  
 5 Quae peperit Regem caeli, tellure jacere,  
 6 qui non hoc ingens crederet esse nefas ?

EPIGRAMMA IN LAUDEM BEATI ROCCI, PROPULSATORIS PESTIS.

E6\_13 v.1 Quae secat Augustum post Idus proxima sacros,  
 2 pestifugo Rocco est ista dicata dies.  
 3 Haec precibus castisque colat solemnia votis  
 4 laetifera quisquis peste carere cupit.  
 5 Ante tamen maculas tergas et crimina mentis ;  
 6 non aliter voto faverit ille tuo.

MILITES CHRISTI FORTES ET INTREPIDOS ESSE DECET.

E6\_14 v.1 Qui vexilla crucis sequitur sub principe Christo,  
 2 intrepidus forti proelia mente gerat.

3 Semper victor erit, Domini si jussa sequetur,  
 4 donaque promissis uberiora feret.  
 5 Transfuga sin autem Crucifixi signa relinquet,  
 6 torrendus Stygiis dejicietur aquis.

## EPIGRAMMA IN LAUDEM BEATI LAURENTII MARTYRIS.

E6\_15 v.1 Pontificis quaestor Sixti, Laurentius aurum  
 2 dispersit Christi pauperibusque dedit.  
 3 Quod bene donatur, longum servatur in aevum,  
 4 quaeque Deo seritur, centupla messis erit.  
 5 Principis irati sprevit Laurentius ignem,  
 6 quippe Dei flammis arserat ille prius,  
 7 ut caneret dum flamma crepat, spectante tyranno,  
 8 intactumque latus posceret igne dari.  
 9 Athleta invictus Christi, victricia caecis  
 10 qui per signa crucis lumina restituit ;  
 11 et merito magno hunc tellus veneratur honore,  
 12 cujus nunc fruitur spiritus axe poli.

## EULOGIUM IN SOLEMNITATE BEATISSIMAE MADALENAE.

E6\_16 v.1 Ecce, dies sollemnis adest ; seponite curas,  
 2 Christicolae, et puro fundite corde preces.  
 3 Hac heros Christi Madalena ad sidera rapta est  
 4 inter apostolicos angelicosque tronos.  
 5 Nil desperandum est miseris, modo crimina ponant,  
 6 si peccatricem vexit ad astra Deus.  
 7 Filius aeterni Regis descendit ab alto  
 8 ut peccatores tollat ab interitu.  
 9 Discite, mortales, veniam sperare precando,  
 10 dum licet, et mens est libera utrumque sequi.  
 11 Diligat (haec summa est), quicumque exoptat amari :  
 12 ingratis aures obstruit ipse Deus.  
 13 Deseruere omnes, capto pastore, timentes  
 14 discipuli, et turpem surripuere fugam :  
 15 Christipara at nusquam Madalena a virgine cessit,  
 16 infestas inter stans lacrimosa manus,  
 17 Judaicam spernens rabiem Romanaque pila,  
 18 Calvariaeque suum est usque secuta ducem  
 19 pendentemque cruce et peccata humana lavantem  
 20 confessa, et nusquam, dum moreretur, abit.  
 21 Primaque festinans pretiosa unguenta sepulchro  
 22 intulit, ut Domini corpus odore fricet.  
 23 Et prima angelicas servantes busta phalangas  
 24 vidit, et accepit vivere prima Jesum.  
 25 Huic sese Deus ostendens apparuit horto,  
 26 sollicitoque fuit nuntia prima Petro.  
 27 Quisquis amat tantum, merito debetur amari,  
 28 et prima aetherae praemia sortis habet.  
 29 Convivam in terris Christum suscepit hospes :  
 30 hospitio fruitur nunc Madalena poli.  
 31 Et quamvis peccata Jesus dimiserit illi,  
 32 quando pedes lacrimis abluit illa Dei,  
 33 per tamen undisonum pontum secessit ad oras  
 34 Gallorum, in solis delituitque jugis.

35 Ter denos caelebs pomis silvestribus annos  
 36 vixit, pro tunicis corpora tecta comis,  
 37 ut lueret primae flendo delicta iuventae,  
 38 errori iudex saevior ipsa suo.  
 39 Et, merito ambrosia et caelesti nectare pota,  
 40 sidereos meruit saepe videre tronos.  
 41 Terque die psallente choro videre coloni  
 42 luminibus stupidis hanc super astra vehi.  
 43 Postremo Empyreii patefacta a cardine porta  
 44 intravit summum, non reditura, polum,  
 45 militia comitante Dei, de more triumpho,  
 46 sanctorum coetu pone sequente patrum.  
 47 Qualis inaurato victor Capitolia curru  
 48 Scipiades subiit, laureaserta gerens,  
 49 talis stelliferis rutilans Madalena quadrigis  
 50 intravit magni tecta superba Dei.

EULOGIUM IN CONVERSIONE BEATI PAULI, HUMANI GENERIS DOCTORIS.

E6\_17 v.1 Plaudite ! Doctoris lux haec celeberrima Pauli,  
 2 militiae meruit qua caput esse Dei.  
 3 Christicolis olim ante alios acerrimus hostis,  
 4 post Christi fulmen praesidiumque fuit.  
 5 Dumque ardens et adhuc cedis plenusque minarum  
 6 in Syriam saeptus milite carpit iter,  
 7 ecce die medio vox est audita per auras,  
 8 magnus et aethereo venit ab axe fragor :  
 9 "Saule, quid insequeris me ? Cur mihi, Saule, minaris ?  
 10 An poteris stimulis durior esse meis ?"  
 11 Nec mora ; pronus humi cecidit ; tum numen adorans  
 12 quod sibi sit nomen, quod velit ipse rogat.  
 13 "Sum Deus aeternus Christus", de nube serena  
 14 sidereo rursus personat ore Jesus.  
 15 "Surge, age : dicetur, cum vici compita Recti  
 16 intraris, quae tunc sint facienda tibi."  
 17 Confestim caecis Paulus surrexit ocellis ;  
 18 jejuno triduum pertulit ore famem.  
 19 Nec mirum : excelsi raptus super aethera caeli  
 20 angelicos vidit seraphicosque tronos.  
 21 Terque choros ternos tanto fulgore micantes  
 22 fulgorem ut nequeant lumina nostra pati  
 23 vidit, et aeterni genus innarrabile Christi,  
 24 atque arcana Dei, non referenda viris,  
 25 quae post Cecropius distinxit in ordine vates,  
 26 cum de divino nomine fecit opus.  
 27 Et merito excelsi Paulus tuba clara Tonantis  
 28 altiloquo cantu mystica sacra tonat.  
 29 Ostendit venisse Jesum sub imagine servi  
 30 et cedem et veram substinuisse crucem.  
 31 Quem sacri vates, quem praedixere Sibyllae,  
 32 non alium exspectet perfida turba Deum.  
 33 Non timuit, coram, Synagogae ostendere Christum  
 34 praedictum sacris saepe fuisse libris.  
 35 Jamque novae legi veteres cessere figurae ;  
 36 conscissi veli mystica sacra patent.  
 37 Non agna aut magni datur amplius hostia tauri ;  
 38 cor hominis mundum est victima grata Deo.

39 Mox Asiam magno peragrans discrimine vitae,  
40 substulit errores et simulacra deum,  
41 ostendens non esse deos, sed daemonastris  
42 projectos, templis qui latuere cavis.  
43 Deinde fidem Christi veram solique docebat  
44 tura dari et solum percelebrare Jesum.  
45 Non animos tantum vitiis, sed corpus ab unda  
46 Lethaea extorsit restituitque animam.  
47 Ex quo Mercurium, cernens miranda, Lycaon  
48 credidit humana veste latere deum.  
49 Non hoc sustinuit Paulus stultosque reprehendit  
50 seque pari est fassus condicione virum.  
51 Ast ubi per pingues Asiae bona gramina campos  
52 jecit, ad Europae limina torsit iter,  
53 et primum armisonae ingressus Tritonidos urbem.  
54 Disseruit Christi quae documenta forent,  
55 quantaque mortales tegetet caligo retexit,  
56 erudiens plebem philosophosque simul.  
57 Thessaliae populos et Graias circuit urbes,  
58 tantus erat Christi religionis amor.  
59 Non timuit Festi Judaeorumque furorem,  
60 convincens propriis pectora dura libris.  
61 Inter custodes, religatus colla catenis,  
62 portatur Romam, Caesaris ante pedem.  
63 Captivus, nautas obiter servavit ab unda,  
64 mersa sub aequoreis cum ratis esset aquis.  
65 Dum trahitur vinctus, dum sunt liventia plagis  
66 pectora, perpetitur mitis et instar ovis.  
67 Laetiferos morsus aegrotaque corpora sanat ;  
68 saevior ira tamen centurionis erat.  
69 Quis non discipuli Crucifixi signa fatetur,  
70 si bona reddamus qui tribuere mala ?  
71 Quid referam quibus ille locis miracula fecit,  
72 ad populos sacro dum tonat eloquio ?  
73 Tandem terrarum Romam pervenit ad arcem,  
74 et Senecam petiit Caesareosque lares.  
75 Tunc Evangelii cunctas effudit habenas ;  
76 dum loquitur, rapidi fluminis instar erat.  
77 Arida corda rigans caelesti rore Quiritum,  
78 grandia contritae semina jecit humi.  
79 Et quamquam magica Simon deluserit arte  
80 et rudibus populis dira venena dedit,  
81 hos tamen erudiit magni sapientia Pauli,  
82 aspideis telis antidotumque dedit.  
83 Antistesque Petrus, divinae legis origo,  
84 cum Paulo sacris imbuat Aeneadas.  
85 Nec mirum, maculis caruit si Roma nocentis  
86 haereseos, tenuit catholicamque fidem.  
87 Nempe Petrus princeps Christi firmissima petra,  
88 Paulus at electum vas fuit ipse Dei.  
89 O Nero crudelis, rapuisti lumen utrumque ;  
90 an subversa fuit non tibi Roma satis ?  
91 Anne parum fuerat ferro laniasse parentem  
92 sanguineque infecta vina bibisse manu,  
93 cognatosque omnes crudeli vulnere caesos,  
94 conjugis et tumidos calce necasse sinus ?  
95 Heroas Jovis aeterni Paulumque Petrumque  
96 mactasti ; tibi quid fecit uterque mali ?

97 O scelerate Nero, terrae communis Erinnyes,  
 98 debuerat scelus hoc non licuisse tibi.  
 99 Prodigiosa lues, tollis duo lumina, tollis !  
 100 Diceris, ah, quanti criminis esse reus !  
 101 Hi tamen Empyreii resident in culmine caeli ;  
 102 inter tartareas tu cruciaris aquas.  
 103 Salve, sol fidei ; salve, tuba clara Tonantis ;  
 104 salve, Tarsensis gloria, Paule, soli !  
 105 Heretici, salve, expulsor gladiusque veneni ;  
 106 Salve, Romanae religionis honor !

EULOGIUM DE LAUDIBUS BEATI ANTONII ABATIS.

E6\_18 v.1 Altera post medium Jani transacta bifrontis  
 2 Niliaci Antoni est non reticenda dies.  
 3 Hic urbes docuit perituraeque linquere regna  
 4 et placida in silvis quaerere mente Deum.  
 5 Nempe ubi divitias regnis obstare supernis  
 6 novit, dispersit pauperibusque dedit ;  
 7 Non, ut Thebanus Crates, projecit in undis :  
 8 sic est insane fundere mentis opes !  
 9 Munera qui tribuit quam plurima laetus egenis,  
 10 in caelo aeternas constabilivit opes.  
 11 Contempsit tumidos vitae mortalis honores ;  
 12 sedavit Venerem nequitiamque gulae.  
 13 Spe Christi plenus, deserta Antonius urbe,  
 14 silvarum petiit saxa peresa puer.  
 15 Hinc, licet insidiis multaque vaferrimus arte  
 16 in laqueos daemon cogeret ire suos,  
 17 inde ferae quamquam rabidae incursusque latronum  
 18 possent armatis vel timor esse viris,  
 19 substituit tamen invictus plagasque minasque,  
 20 risit et insani daemonis insidias.  
 21 Interiora petens horrendae saxa cavernae,  
 22 non timuit rursus verbera dira pati  
 23 atque alacer fidensque animi certamen inibat ;  
 24 nec mirum : assuetus vincere semper erat.  
 25 Tantum illi dederat Christi fiducia robur :  
 26 conscia mens recti quid timuisse potest ?  
 27 Ut turbas hominum et nimios vitaret honores,  
 28 vipereum solus cessit ad hospitium.  
 29 In mediis silvis castellum est, alterae Amyclae,  
 30 ingens vis colubrum dispulit unde viros.  
 31 Hac intus clausis portis Antonius arce  
 32 delituit : nocuit vipera nulla sibi.  
 33 Agmine ceu facto cuncti cessere colubri  
 34 Christicolae, et vacuas deseruere domos.  
 35 Illic se claudens multos Antonius annos  
 36 vixit, et angelico nectare pastus erat.  
 37 Sed non abscondi Phoebus nec montibus urbes  
 38 possunt, divinae nec charitatis amor.  
 39 Clara erat Antoni totum jam fama per orbem :  
 40 extremi implerat lictus utrumque maris.  
 41 Si sacra Aegypti et Nitriae coenobia cernas,  
 42 e caelo credas hos cecidisse choros.  
 43 Noctes atque dies resonabat cantibus aether ;  
 44 Innis semper erat silva canora sacris.

45 Ardebant mira in Christum charitate revincti :  
 46 omnibus una fides, omnibus unus amor.  
 47 Antoni, salve, tranquillae gloria vitae,  
 48 cui nemus horrendum gratius urbe fuit !  
 49 Dirige nostra, pater, versate vela carinae,  
 50 ne mediis pereat naufraga puppis aquis.

CANTUS IN FESTO DOMINICAE RESURRECTIONIS.

E6\_19 v.1 Sidera laetentur tellusque exsultet et unda :  
 2 ista resurgentis lux veneranda Dei est.  
 3 Haec est festa dies, Dominus quam fecit ; in ista  
 4 quisque serenato gaudia corde gerat.  
 5 Primus Tartareis Christus subrexit ab undis,  
 6 et spes surgendi nos quoque certa manet.  
 7 Victor ovans Christus prodit, custode sepulto,  
 8 victricisque tulit candida signa crucis.  
 9 Expurgate vetus fermentum criminis omne,  
 10 induite et niveas et sine sorde togas,  
 11 ut vobis detur caeli pinguis agnus,  
 12 dentur et ambrosiae nectareumque melos.  
 13 Hanc omnes mundis animis celebrate faventes,  
 14 ut conviva Dei quilibet esse queat.

EPIGRAMMATUM LIBER SEPTIMUS.

E7\_01 v.1 Pannonicos magni regis visure penates,  
 2 ore, liber, casto carmina sacra cane.  
 3 Magnanimos Christi proceres caelique triumphos  
 4 deprome intacto, Calliopea, sono.  
 5 Ite procul, nugae ! Non sunt miscenda profanis  
 6 quae sunt aeterno mystica sacra Dei.

IN CELEBRITATE MATHYAE APOSTOLI EULOGIUM.

E7\_02 v.1 Annua divini veneremur sacra Mathyae :  
 2 sint animi mundi, sint sine faece dies.  
 3 Inter bisenos Christi licet ultimus esset  
 4 tempore discipulus, par charitate fuit.  
 5 Hujus enim orantis (visum mirabile !) caelo  
 6 circuit innocuo lumine flamma caput.  
 7 Proditor unde ruit, divina sorte Mathyas  
 8 suffectus : causa est nominis inde sibi.  
 9 "Donatum" nostri, Ebraei dixere "Mathyam",  
 10 quod primae meruit sortis habere locum.  
 11 Iste truces vertit populos ad numina Christi,  
 12 immites Thraces Illyricosque ferros.  
 13 Judaeaeque prius caecas lustraverat urbes,  
 14 ostendens quanti criminis illa rea est.  
 15 Purgavit vitiis mentes et corpora morbis :



16           quis non discipulum dixerit esse Dei ?  
 17       Contempsit gladios, Christi inflammatus amore ;  
 18           qualis pugnator, qualis athleta fuit !  
 19       Frenderet ipse licet daemon saevusque tyrannus,  
 20           non timuit, victor, vulnera mille pati.  
 21       Haec omnes igitur celebrent solemnia gentes,  
 22           praesertim Istricolis lux veneranda viris.  
 23       Heroem Christi et regem celebrate Mathyam :  
 24           iste diu terram, sidera at ille colat.

DE INANI FIDUCIA AMICORUM.

E7\_03   v.1       O mentita mihi totiens fiducia ! De me  
           2           post nonum lustrum mentio nulla fuit.  
           3       Cur ego litterulas didici ? Quid carmen inane ?  
           4           Surgunt indocti, tu sine honore jaces.  
           5       Quid probitas morum, quid parte in Caesaris esse  
           6           profuit, et numquam me temerasse fidem ?  
           7       Omnibus ille quidem magnos largitus honores,  
           8           uni (quod doleo) defuit ille mihi.

AD PETRUM CAPONIUM PRAESTANTEM VIRUM AMICISSIMUM.

E7\_04   v.1       O Petre, dilectos inter numerande sodales  
           2           o spes certa mei praesidiumque mali,  
           3       cum Medicis blandos aditus et tempora noris,  
           4           rem nostram insinues, ut meminisse velit  
           5       (siqua mei est cura, effluxi nec totus ab illo),  
           6           ne cinerem exspectet fataque tarda mei.

EULOGIUM IN SOLEMNITATE DIVI HIERONYMI,  
LUCIS CHRISTIANORUM ET NORMAE SANCTITATIS

E7\_05   v.1       Ultima Septembris venit lux alma ; favete,  
           2           Christicolae, et sacram concelebrate diem.  
           3       Aspiciam nullum tam sancta in luce gementem,  
           4           et nitidum claro fulgeat orbe jubar.  
           5       Fronde coronati promant bona carmina vates :  
           6           ore pio et casto pectore vera canant.  
           7       Non hic nequitiae locus est ; procul esto, profani !  
           8           Quis dabit immundo tam pretiosa sui ?  
           9       Christe, potens rerum, summi Patris unice Fili,  
          10           nunc labia aethereo terge liquore mea,  
          11       Hieronymi ut valeam innumeras percurrere laudes,  
          12           altior ut solito spiritus ore tonet.  
          13       Unde ego principium summam ? Praestantior an sit  
          14           moribus, an summo clarior ingenio ?  
          15       Evolvam licet historias omnesque poetas,  
          16           cui similem aequiperem non reperire queo.  
          17       Hic omnes novit linguas, nec tersior alter  
          18           tot scripsit libros, nec Cicerone minor.  
          19       Magna sacrosanctae quamquam sunt flumina legis  
          20           largaque de nitido gurgite vena fluit,  
          21       at nemo uberius tanto candore disertus  
          22           tradidit Ausoniis pabula sacra viris.

23 Non solum exhaustit Graeco de fonte libellos,  
 24 traduxit Judae quin sacra mysteria,  
 25 quicquid veridici quondam cecinere prophetae,  
 26 ulla nec in libris menda reperta suis.  
 27 Optimus interpres, divinae aenigmata legis  
 28 clara labore suo reddidit Ausoniis.  
 29 Per te magnanimi nota est matrona Suevi,  
 30 cum ruit in laqueos proditor ipse suos ;  
 31 per te siderei Raphaelis nomen in ore est,  
 32 per te Job justus dicitur et patiens ;  
 33 eloquioque tuo proscissum Holofernus iniqui  
 34 femineo audacter novimus ense caput  
 35 ereptamque senum petulanti a fraude Susannam ;  
 36 novimus occisos jure fuisse senes.  
 37 Tu quicquid scripsit Moses ab origine mundi  
 38 vertisti in nostrum clarius eloquium.  
 39 Hic Testamentum in Latium convertit utrumque ;  
 40 clarius hoc nobis quam fuit ante suis.  
 41 Mystica tu retegis fidei velamina, doctor,  
 42 tu re, tu verbis, haec sacra vera probas,  
 43 norma pudicitiae, sanctorum gloria morum,  
 44 o doctor, cunctis anteferende viris !  
 45 Et merito : inferior non es caelestibus ullis,  
 46 at vir seraphicis aequiperande thronis !  
 47 Eneadum contempsit opes, contempsit honores,  
 48 fugit delicias, improba Roma, tuas.  
 49 Ut mens divinis chartis conjunctior esset,  
 50 fertur in horrendis delituisse jugis,  
 51 inter serpentes, inter deserta ferarum ;  
 52 vix lutulenta sibi reppulit unda sitim.  
 53 Pectora dilacerans nudo liventia saxo,  
 54 vix sacco implicitus pervigilabat humi.  
 55 Ut caelebs rapidos Veneris compesceret ignes,  
 56 atrivit longa pallida membra fame,  
 57 saepeque, perscrutans divina volumina, totum  
 58 insomnis noctem junxerat ille die.  
 59 Tu nisi barbariem lingua, facunde, canora  
 60 tersisses, Romae barbara sacra forent.  
 61 Si non interpres doctus fidusque fuisses,  
 62 heu, plena haereseos pagina sacra foret.  
 63 Salve, virginei decus immortale pudoris !  
 64 Salve, Romanae religionis honos !  
 65 Salve, lux cleri, salve, tutela salusque  
 66 Christicolum, salve, spes mea, Hieronyme !  
 67 Exorante Deum mihi te confido negare  
 68 posse nihil ; misero, te precor, affer opem,  
 69 scilicet ut mundem mortalis crimina culpae,  
 70 ut careant morbo corpora, mens vitiis,  
 71 inter et electos superis praedestinet oris :  
 72 haec, pater, est voti summa petita mei.

IN HONOREM BEATAE LUCIAE VIRGINIS AC MARTYRIS EPIGRAMMA.

E7\_06 v.1 Ecce, sacros Idus gelidi celebrate Decembris ;  
 2 ista Syracusiae virginis alma dies.  
 3 Trinacrias longe forma Lucia puellas  
 4 invictoque animo vicit et ipsa viros.

5 Impia contempsit crudelis jussa tyranni,  
 6 quae corruptoris spreverat ante preces.  
 7 Instaret torvus nudo licet ense satelles,  
 8 fortior incepto perstitit illa suo.  
 9 Ut mens fixa Deo, sic ipsa immobilis haesit  
 10 corpore : non potuit tota movere cohors.  
 11 Non illam centum potuere avellere tauri ;  
 12 nec mirum : fuerat numine plena Dei.  
 13 O virgo, aetherae claro cognomine lucis,  
 14 pelle, precor, mentis nubila caeca meae.  
 15 Linteae perdurent ad seram lumina mortem,  
 16 et post fata meus spiritus astra petat.

IN SOLEMNITATE BEATI JOANNIS APOSTOLI AC EVANGELISTAE.

E7\_07 v.1 Altiloqui lux ista nitet memoranda Joannis ;  
 2 quisquis fana subis, pectore tolle notam.  
 3 Impuris votis divorum est nullus amicus ;  
 4 praecipue castis ista colenda dies.  
 5 Hic Christi est vates, memorabilis ore canoro,  
 6 qui mare, qui terras, qui ferit astra tuba.  
 7 Nec mirum : in cena, recubans in pectore Christi,  
 8 fertur de sacro fonte bibisse Dei ;  
 9 altius unde canit, subvectus in aethera pennis,  
 10 vix Augustini cognitus ingenio.  
 11 Lucidior nullus scripsit, nec verior alter :  
 12 hunc quoque Maumettes haeresiarche probat.  
 13 Hic Evangelii claro fulgore tenebras  
 14 dispulit errorum restituitque diem.  
 15 Scripsit et in Patmo miranda oracula, quae si  
 16 conspicias, dices altius esse nihil.  
 17 Nec timuit diros irati Caesaris ignes,  
 18 balnea sed tamquam nudus amoena petat,  
 19 ferventem illaesus triduum toleravit olivum :  
 20 siderei Christi qualis amicus erat,  
 21 immo discipulus carus, cui credita mater !  
 22 Propensi haec animi qualia signa putes !  
 23 Unde nec immerito mentem cum corpore raptam  
 24 post annos centum vexit ad astra Deus.  
 25 Vivere quamquam alii paradisi in vertice dicant,  
 26 at nos in caelo credimus esse magis ;  
 27 quem miro ante omnes Christus dilexit amore,  
 28 abscondi corpus num pateretur humi ?  
 29 Ergo divini veneremur sacra Joannis ;  
 30 orantum puras audiet ille preces.

CONTRA SCELERATUM HERODEM,  
 QUI INFANTES JUDEOS NECAVIT UT CHRISTUM SIMUL PERDERET.

E7\_08 v.1 Perderet ut caeli regem, sceleratus Herodes  
 2 infantum morti millia multa dedit,  
 3 quos, ferox, ante oculos et matris ab ubere raptos  
 4 sanguineo torvae jusserat ense fodi.  
 5 Belua nulla ferox saevo aequiperetur Herodi,  
 6 non quae Caucaseos orba pererrat agros.  
 7 Uxorem et dulces crudeli vulnere natos

8 et pariter fratres foderat ille prius !  
 9 Ah, quem lactentes regno fecere timorem ?  
 10 Ad te delusum non rediere Magi.  
 11 An tu quae sacri Judae cecinere prophetae,  
 12 improbe, ne regnet, tollere posse putas ?  
 13 Tu dabis aeternas scelerum sub Tartara poenas ;  
 14 innocui infantes sidera celsa petent,  
 15 et nive candidior quocumque volaverit agnus  
 16 sidereus, psallens turba sequetur iter.  
 17 Si non ore Deum confessi, sanguine fuso  
 18 se primos testes exhibuere Deo.  
 19 Sanguine religio sic nostra exordia coepit,  
 20 quam durum caeli est ut tibi constet iter.

## EPIGRAMMA IN HONOREM ARCHANGELI RAPHAELIS.

E7\_09 v.1 Assis, caelestis Raphael, tua sacra colenti,  
 2 major ut exiguo crescat in ore sonus ;  
 3 non mihi Pierides, non hic dicendus Apollo :  
 4 scribenti, Raphael, tu satis esse potes.  
 5 Tu propiore Dei, gemmis ornatus et auro,  
 6 in solio cernis cominus ora Dei.  
 7 Tu citior ventis ales delapsus ab astris,  
 8 defers in terras jussa tremenda Dei.  
 9 Tu procul a nobis fallaces daemonas arces,  
 10 certa salus miseris praesidiumque reis.  
 11 Inmineant quamvis horrenda pericula, pellis ;  
 12 adventu fiunt cuncta secunda tuo.  
 13 Sis felix nobis adversaque cuncta repellas :  
 14 non homo, non daemon possit obesse mihi.

## IN CELEBRATIONE ARCHANGELI MICHAELIS.

E7\_10 v.1 Sidereae ductor, Michael venerande, cohortis,  
 2 hostiles nobis nunc procul arce minas,  
 3 qui squamosa feri fodisti terga draconis,  
 4 Assyrium immites quem timuere manus ;  
 5 una qui solus viginti in nocte phalangas  
 6 stravisti : leto tot tua dextra dedit.  
 7 Tu fortis fidusque, Deo Christoque rebellem  
 8 fudisti aetherea victor ab arce manum.  
 9 Militiam merito caeli tibi credidit omnem  
 10 ductoremque suis te Deus esse dedit.  
 11 Assis, dive, precor, Michael, venerabile numen :  
 12 dissice fallacis daemonis insidias,  
 13 bellorumque omnem felix compesce procellam,  
 14 ut detur nostro tempore pace frui.

## CANTUS IN ASCENSIONE DOMINI JESU CHRISTI IN CAELUM.

E7\_11 v.1 Lux hodierna, viri, miro celebretur honore,  
 2 ne nos ingratos sentiat esse Deus.  
 3 Qualia credendum est agitari gaudia caelo !  
 4 Non parvum est ista luce dolere nefas.  
 5 Hac Deus omnipotens rediit sua Christus ad astra ;

6            hac homini caeli est porta revulsa die.  
 7            Insuetum per iter, per lactea lumina raptus,  
 8            vidit homo aeterni tecta superba Dei.  
 9            Astrorum innocuos nudo pede contigit ignes,  
 10           vidit et angelicos seraphicosque thronos.  
 11           Quod, nisi Christus ovans portas reserasset Olympi,  
 12           atria vidisset regia nemo Dei.  
 13           In caelum ascendit spoliato Christus Averno,  
 14           ut novus in vacuos incola tendat agros.

CANTUS IN SOLEMNITATE SPIRITUS SANCTI.

E7\_12    v.1    Mane erat et nullae turbabant aethera nubes,  
           2           intonuit leva cum Deus axe poli,  
           3           Candida cum caelo venit delapsa columba,  
           4           cujus lingua micans fulguris instar erat.  
           5           Veridicos fudit rostris ardentibus ignes,  
           6           illuxit claro lumine totus apex.  
           7           Discipulos Christi lambens innoxia flamma,  
           8           praescia complevit numine corda sacro.  
           9           Tunc sacra pandebant variis miracula linguis,  
 10           indocto fuerant qui prius ore rudes.  
 11           Qui, piscatores, Syriae vix flumina norant,  
 12           mox seriem aeterni praecinuere Dei,  
 13           audacterque omnes demigravere per urbes  
 14           et severe sacrae religionis agros ;  
 15           extremis quorum sonus est auditus ab Indis  
 16           et fines magni circuit oceani.  
 17           Non logice gyros, non Stoica tela verentes,  
 18           flumina Socratici non timuere libri,  
 19           numine sed pleni veram docuere salutem  
 20           et sacrosanctam constituere fidem.  
 21           Salve, festa dies, vel luce sacratior omni,  
 22           qua diffusa Dei est gratia tanta viris !  
 23           Tertia de caelo aeterni persona Tonantis  
 24           innocuo sacros imbuit igne patres.  
 25           Sunt tres personae distincto nomine, et idem  
 26           est Deus : est Natus, Spiritus estque Pater.  
 27           Omnipotens pariter, pariter sine fine, sine ortu ;  
 28           tris merito indictum est nos celebrare dies.  
 29           Qui cupis ergo capax divini muneris esse,  
 30           emundes sordes nequitiamque prius,  
 31           ut pura eniteant caelesti pectora regi,  
 32           offendunt quoniam sordida tecta Deum.  
 33           Atria purpureis ornantur picta tapetis :  
 34           Principis adventu est anxia tota domus.  
 35           Spiritus at sanctus, terrae caelique creator,  
 36           qua pompa a nobis accipiendus erit ?  
 37           Quem non tota capit tam vasti machina mundi,  
 38           mundi corda tenent hunc aliquando viri.  
 39           Mortales moveant argentea dona tyrannos ;  
 40           sidereo dentur pectora casta Deo.  
 41           Ergo sacrum quisquis sceleratus laeserit ignem,  
 42           perpetuo infelix igne cremandus erit.

IN LAUDEM NATALIS JOANNIS BAPTISTAE,  
MORTALIUM OMNIUM, EXCEPTA MARIA, SANCTISSIMI.

E7\_13 v.1 Maestitia expulsa, terrarum gaudeat orbis :  
2 natalis lux est ista, Batista, tuus.  
3 Laetitiae bona signa date et celebrate Joannem,  
4 praepositum cunctis non semel ore Dei :  
5 qui petiit silvas infans lactentibus annis,  
6 cui fuit herba cibus, potus et unda fuit,  
7 induit et teneros saetis horrentibus artus ;  
8 corpore neglecto, mens operata Deo est.  
9 Delicias, hominum pestem, sic fugit ut hostem ;  
10 parcus erat somni, vix sibi nota quies.  
11 "Quemque sui sceleris", silvis clamabat in altis,  
12 "paeniteat : jam sunt regna propinqua Dei !"  
13 Caelorum regem sacris Jordanis in undis  
14 abluit, et laevo sensit ab axe sonum :  
15 "Filius hic meus est", vox est de nube locuta,  
16 inque Dei nivea est lapsa columba caput.  
17 Tunc vidit caeli portas a limine vulsas  
18 et secreta Dei non referenda viris.  
19 Iudicio Christi, surrexit nemo Joanne  
20 major, ni Christi virgo Maria parens.  
21 Ergo omnes animis puris et pectore laeto  
22 natalem herois concelebrate Dei.

IN MARTYRIO BEATI JOANNIS BAPTISTAE. CONTRA SCCELERATUM HERODEM.

E7\_14 v.1 Reginae incestus praecidit colla Joannis,  
2 quis erat in toto sanctius orbe nihil.  
3 Belua crudelis, quo te scelerata cupido  
4 impulit ? Immanem vis superare patrem :  
5 ut psaltatrici, ne tu perjuriam rumpas,  
6 des caput innocui, luxuriose, viri.  
7 Injustum cuicumque licet sine fraude negare,  
8 pollicitus quamquam es nec sine teste Deo.  
9 Non impune ferēs, immanis proditor : exsul,  
10 amisso regno, tecta aliena petes,  
11 impieque aeternas poenas sub Tartara solves,  
12 cum patre sulphureis excrucians aquis.  
13 Elysios campos Christi praecursor adibit ;  
14 mox petet Empyreii flammae tecta poli.

EULOGIUM BEATAE FELICITATIS, CUM SEPTEM FILIIS, KALENDIS AUGUSTI.

E7\_15 v.1 Augusti (venere sacrae) celebrate Calendas :  
2 fratribus haec septem est commemoranda dies.  
3 Septem clara parens heroes intulit astris,  
4 qui fulgore suo Pleiades aequiperant.  
5 O felix genitrix, vero cognomine felix,  
6 femina vel cunctis aequiperanda viris !  
7 Audacterque feri spreuit mandata tyranni :  
8 maluit ergo mori quam temerare sacra.  
9 Hoc nati fecere sui, sed matre monente  
10 pro patria ut mortem lege subire velint.  
11 Intrepida aspexit truncari pignora septem ;

12 tandem post natos ultima caesa fuit.  
 13 Nil agis, Antioche ; aeterno memoraberis aevo  
 14 impius ; illa omni tempore fortis erit.

EPIGRAMMA IN LAUDEM PANCRATII PUERI ET MARTYRIS.

E7\_16 v.1 Pancratii invicti celebrat lux ista triumphos ;  
 2 exactum Maii jam prope dimidium est.  
 3 Bissenos puerum numerantem perdidit annos  
 4 immitis Decius, sed magis astra dedit.  
 5 Flectere non flammae minitantisque arma tyranni  
 6 constantis pueri non potuere fidem.  
 7 Omnia contempsit Crucifixi propter amorem ;  
 8 quae patiēre senex, cum facit ista puer ?

IN HONOREM BEATI ZENOBII EPISCOPI FLORENTINI.

E7\_17 v.1 Etruscae antistes colitur Zenobius urbis ;  
 2 ista Florentinis est celebranda dies.  
 3 Hic Augustini comes Ambrosiique sodalis,  
 4 ingenio clarus, clarus et eloquio.  
 5 Legatum hunc Damasus Byzanti misit ad arcem,  
 6 cum Getico arderent Dardana tecta rogo,  
 7 Arrius Ausonias cum tamquam pestis in urbes  
 8 serperet ecclesiae dira venena vomens.  
 9 Ast opere et sermone potens Zenobius omnem  
 10 pestem exturbavit finibus Italiae.  
 11 Non aliter caelo nubes Aquilone sereno  
 12 pelluntur, nitido fulget et axe dies ;  
 13 sic tunc alma fides Christi candore nivali  
 14 enituit, nullis commaculata notis.  
 15 Felix o nimium, Florentia, praesule tanto !  
 16 Pastoris mores nunc imitere tui.  
 17 Undecies centum orator Zenobius annos  
 18 mitigat irati numina laesa Dei,  
 19 ut patriae parcat venturosque arceat hostes,  
 20 peccantis populi nec meminisse velit.  
 21 Innumeris erepta malis, Florentia servat  
 22 jus libertatis, servat et imperium.  
 23 Crimina nostra preces vincunt ; ad culmina ventum est  
 24 nequitiae ; jam jam certa ruina manet.  
 25 Deseret iratus periturum pastor ovile,  
 26 ne frustra ingratis sedulus oret opem.

EPIGRAMMA BEATI REMISII, QUI PRIMUS GALLIAM AD FIDEM CHRISTI CONVERTIT.

E7\_18 v.1 Remisii lux haec cunctis celeberrima Gallis  
 2 exoritur ; claro luceat axe dies.  
 3 Hic simulacra Deum, hic errores depulit omnes,  
 4 hic docuit veri numina sancta Dei,  
 5 unxit et invicti Clodovei regis olivo  
 6 tempora, quod caelo missa columba tulit.  
 7 Quin hodie hoc oleo felices Gallia reges  
 8 ungit ; pontificis servat in aede sui.  
 9 Francorum reges Christi cognomen habere

10 propter Remisium commeruere suum.

IN HONOREM BEATI GEORGII MARTYRIS, QUI DRACONEM IN LYBIA INTEREMIT.

E7\_19 v.1 Cappadocum herois lux est veneranda Georgi ;  
 2 praecipue Lybies pulchra Cyrena colit.  
 3 Ut noscas causam, serpens stabulabat ad urbem,  
 4 qua retinet turpes concava vallis aquas.  
 5 Ne jejuna voret deprensos belua cives,  
 6 huic data sunt ovium corpora bina die.  
 7 Ast ubi nulla pecus Libycis reperitur in agris,  
 8 corpora bina hominum sorte dedere ferae.  
 9 Terruit armatas afflatu saepe cohortes,  
 10 ad clausas portas agmina fusa vorans.  
 11 Moenia flamivomo stridore horrendus adibat,  
 12 obsessas noctu ceu lupus urget oves.  
 13 Non tulit hoc heros validaque Georgius hasta  
 14 terribilis fregit squamea terga ferae,  
 15 et caeso eripuit miseram a serpente puellam ;  
 16 ex quo sunt illo condita templa loco.

EULOGIUM IN BEATI FRANCISCI HONOREM.

E7\_20 v.1 Octobris lux quarta nitet : veneremur ovantes  
 2 Seraphici in terris annua sacra viri.  
 3 Ecclesiam iste suis humeris fulcire ruentem  
 4 et potuit magni flectere corda Dei,  
 5 ne genus humanum rursus submergat in undis  
 6 vel nos, ceu quondam Sodomon, igne cremet.  
 7 Quo, Francisce, tuas percurram carmine laudes,  
 8 o vir divinis aequiperande choris ?  
 9 Religio Christi, ni tu, Francisce, fuisses,  
 10 quis foret haereseos debilitata notis !  
 11 Angelici nobis inventor et ordinis auctor,  
 12 monstrasti quae sit tuta tenenda via,  
 13 quoque modo quaerenda salus, fugienda pericla,  
 14 in caelum nobis tutius ut sit iter.  
 15 Hic, mundi illecebris spretis opibusque caducis,  
 16 horrendi coluit frigida saxa jugi.  
 17 Omnia dimisit Christi fortissimus heros,  
 18 militia ut posset liberiore frui.  
 19 Exemploque suo stimulis agitata juvenus,  
 20 deseruit natos deseruitque patres,  
 21 atque opibus magnis, petiens deserta, relictis,  
 22 pauperis est normam turba secuta ducis.  
 23 Non Abrae fecunda magis de semine proles  
 24 exstitit, unde trahit gens populosa caput,  
 25 quam tot Francisci patriarchae signa sequuntur,  
 26 inque dies Francisci nomen crescit ubique suum.  
 27 Tu citius Libyci pelagi numerabis arenas  
 28 omniaque in nitido sidera fixa polo,  
 29 quam sacra Francisci numeres tot nomina fratrum :  
 30 nullaque pars orbi religione caret.  
 31 Quae regio in terris Francisci nominis expers ?  
 32 Dic ubi non exstent condita templa sibi.  
 33 Sint Arabes, Turcique feri, Maurique bilingues,



34 huic fieri sacram sustinere domum.  
 35 Et merito : terrestre nihil Franciscus amavit,  
 36 nil proprium fratres jussit habere suos,  
 37 et pedibus nudis, terrae ceu rebus adeptis  
 38 mens levior posset vivere jure suo,  
 39 ut spes tota Deo, qui cuncta animantia pascit,  
 40 haereat, ut tollat semina nequitiae :  
 41 discipulus, de more, sui praecepta magistri,  
 42 qui paupertatis tot documenta dedit.  
 43 Millia cum tot sint, habeant cum praedia nulla,  
 44 immo nihil (quis enim pascit, et unde cibus ?),  
 45 Nempe deesse nihil tam sanctis fratribus usquam  
 46 vidimus : an mirum non satis istud erit ?  
 47 Nil timeat quicumque Dei charitate fovetur :  
 48 num pavit priscos manna superna patres ?  
 49 At nunc, placato cum major gratia caelo est,  
 50 credam Christicolis posse deesse nihil.  
 51 Franciscus tanto exarsit charitatis amore,  
 52 senserit ut Christi vulnera quinque sui,  
 53 ut sibi quae Nili fraudarat vulnera princeps  
 54 montibus Etruscis redderet ipse Deus.  
 55 Salve, certa salus mundi, Francisce, ruentis,  
 56 salve, turbati portus et aura maris !  
 57 Cum meus hos linquet discedens spiritus artus,  
 58 ne, pater, aeterna morte perire sinas :  
 59 Tartareas furias et monstra horrenda repelle,  
 60 a facie nostra daemona arce procul.

DE CENACULO CHRISTI,  
 QUAM TABULAM PHILIPPUS FLORENTINUS, PICTOR INSIGNIS,  
 PINXIT REGI PANNONIAE.

E7\_21 v.1 Qui cupis aeterni convivium noscere Christi,  
 2 ultima discipulis cum data cena fuit,  
 3 aspice pictoris spirantia dona Philippi,  
 4 pictaque non dices, sed magis ora loqui.

LAUS EJUSDEM PICTORIS.

E7\_22 v.1 Siquis picta Petri Puliensis viderit ora,  
 2 "Hic Petrus est !", et non dicet : "Imago Petri est".  
 3 Artifici cessit Natura, ut verior ars sit ;  
 4 spirantem superat picta tabella virum.

DE ALNOLFO MUSICO, AD LAURENTIUM MEDICEM.

E7\_23 v.1 Mutua mittebant alterne dona Quirites,  
 2 falciferi colerent dum sacra templa senis ;  
 3 mos quoque natali Christi est dare mutua dona.  
 4 Alnolfus, quod habet, dat tibi dulce melos ;  
 5 tu quoque, nostra salus, Medices, et gloria, reddes  
 6 quae sunt fortuna munera digna tua.

EPIGRAMMA IN LAUDEM VICTORIS, CELSI, NAZAREI MARTYRUM.

E7\_24 v.1 Martyribus tribus haec Christi celeberrima lux est :  
 2 Victori et Celso Nazareoque sacra est,  
 3 quos non flamma nocens saevi nec blanda tyranni  
 4 flectere calliditas, nec potuere minae.  
 5 Instaret Decius quamvis horrentibus armis,  
 6 plus tamen aeternum pertimere Deum.  
 7 Corpora cuncta rapit durae inclementia mortis ;  
 8 mens tamen aeterna est solaque morte caret.  
 9 Unde nec immerito tribuerunt corpora morti,  
 10 ut mens pura pias offerat ipsa preces.  
 11 Horum, Christicolae, tam clara exempla sequamur,  
 12 ut nos possimus regna videre Dei.

IN HONOREM BEATAE ANNAE, MATRIS SANCTISSIMAE VIRGINIS MARIAE.

E7\_25 v.1 Ad tua, sancta parens, venio solemnia, vates ;  
 2 divinus mundo crescat in ore sonus.  
 3 Virginis, Anna, parens, matrum sanctissima, salve,  
 4 cujus nostra salus orta Maria sinu est.  
 5 Tu nisi Christiparam genuisses, Anna, Mariam,  
 6 clausa forent nobis limina celsa poli ;  
 7 tu nisi praesidium peperisses, Anna, Mariam,  
 8 quis non Tartareis obrueretur aquis ?  
 9 Haec plures nobis genuit fecunda Marias,  
 10 Ecclesiae primos quae peperere duces.  
 11 Haec matronalis decus immortale pudoris  
 12 exstitit ; haec illi sacra dicata dies.

AD AMICUM, CUR FORO JUDICIALI ABSTINEAT, CUM SERA SIT POETARUM FAMA.

E7\_26 v.1 Cur totiens steriles Erato mea vertat arenas  
 2 quaeris, cum cineri gloria sera datur,  
 3 clamosique fori lites et jurgia vitem,  
 4 cur maestis nolim vendere verba reis.  
 5 Quid faciam ? A teneris Phoebi nutritus amore,  
 6 nec cupio magnas ambitiosus opes ;  
 7 numquam tarda fuit post mortem fama perennis,  
 8 at vitae brevis est et fugitivus honos.  
 9 Sim nunc obscurus, sat erit si funere clarus  
 10 incipiatque meum nomen ab exsequiis.  
 11 Occidet invidia et justi reddentur honores,  
 12 detraxit vivo quos mihi livor edax.

AD AMICUM, CUR TAM CITO LIBROS SUOS MITTAT IN PANNONIAM.

E7\_27 v.1 Tam cito cur properem nostros exire libellos ?  
 2 Cum nostra his detur nullus in urbe locus,  
 3 gloria Pannonici attraxit mea carmina regis :  
 4 insignem credunt posse tenere locum.  
 5 Nemo suae acceptus patriae est, livore premente :  
 6 effugiunt patrios carmina nostra lares.

## AD FRANCISCUM SAXETTUM, PRAESTANTEM AC LIBERALEM VIRUM.

E7\_28 v.1 Saxette, Etrusca Mecenas alter in urbe,  
 2 hic est Natalis nox memoranda Dei.  
 3 Quid tibi Verinus, praeter sua carmina, donet ?  
 4 Nil peto ; sat fuerit, dum modo nostra legas.

## AD EUMDEM,

## DE SATURNALIBUS, QUAE ERANT SIGNA DOMINICAE NATIVITATIS.

E7\_29 v.1 Horrendo cum flaret atrox aquilone December,  
 2 Saturni coluit Martia Roma dies,  
 3 laetaque profusis agitabant gaudia donis ;  
 4 tunc data libertas omnibus aequa fuit.  
 5 Siderei haec Christi Natalem signa canebant ;  
 6 tristem tam sacra non licet esse die.  
 7 Mittimus haec laeti nostros tibi munera versus,  
 8 quos ista scripsit nocte Thalia tibi.

## ELEGIA IN LAUDEM NATALIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

E7\_30 v.1 "Aurea pax terris, alto sit gloria caelo",  
 2 Angelicos certum est praecinuisse choros.  
 3 Virgine sidereus de caelo nascitur infans ;  
 4 haec est ante omnes nox veneranda dies.  
 5 Tres luxere polo Christo nascente comete ;  
 6 tres soles visi, sed tamen unus erat,  
 7 ut tres personas distincto nomine credas  
 8 numen idem, et verbum virgine factus homo.  
 9 In mediis tenebris caelestis gloria lucis  
 10 orta est : lucidior nox fuit illa die.  
 11 Terrarum extremi Nabataeo in vertice reges  
 12 viderunt puro sidus in axe novum,  
 13 quo duce, ceu sequitur mediis in fluctibus Arton  
 14 navita, turba suum regia carpsit iter.  
 15 Ante illos fulgor mirandi sideris ibat  
 16 ostenditque magis praevia flamma viam.  
 17 Aurum cum myrrha tribuerunt munera regi,  
 18 at regi et terrae thurea dona deo.  
 19 Pastorum quoque laeta cohors, custodia noctis  
 20 cui cecidit, pueri currit ad antra Dei.  
 21 O quam suave fuit sacris pastoribus illam  
 22 noctem Bethmiticis pervigilasse jugis !  
 23 Ducamus nos ergo sacram sine crimine noctem  
 24 insomnes, et sit mens sine tristitia.  
 25 Hac est orta salus hominum, delapsus ab astris  
 26 verus homo et, nostra pelle latente, Deus.  
 27 Bos puerum agnovit, Dominum cognovit asellus,  
 28 et nudum afflatu fovit uterque suo.  
 29 Desine, vermis homo, tanto effervescere fastu  
 30 et praesepe tui cerne cubile Dei,  
 31 atria cui sordent altis subnixa columnis !  
 32 Sola suum infantem regia virgo fovet,  
 33 quem feno pannisque suis involvit inhaerens ;  
 34 at tua in Attalico est nixa puella toro !  
 35 Hanc veteres noctem cupierunt visere patres,

36 humana ut cernant praesulis ora Dei.  
 37 Praecinuere sacri vates castaeque Sybillae  
 38 quod pariet verum virgo puella Deum ;  
 39 vidit et infantem cum matre per aethera Caesar,  
 40 Pythia cui virgo dixerat esse Deum.  
 41 Siderei nox ista Dei Natalis agatur ;  
 42 altera non tanto debet honore coli.  
 43 Gaudia cum magnis certatim effundite donis :  
 44 natalem Christi sic celebrare decet.  
 45 Si non est aurum, si desit thuris acervus,  
 46 magna in Dominum mente probandus amor.  
 47 Hanc animis puris noctem celebremus ovantes :  
 48 non vincent nostras aurea dona preces.  
 49 Spectat quippe Deus tribuentis munera mentem,  
 50 quae, si laeta fuit, gratior esse solet.  
 51 Gaudete, Natalis adest, sperate salutem,  
 52 mortales : nostro ferbuit igne Deus.  
 53 Exuta est hominis tristem natura senectam :  
 54 enituit positis clarior exuviis,  
 55 qualis silva viret gelidae post tempora brumae,  
 56 arboribus flondes cum rediere suae.  
 57 Jam genus humanum, nullis caelestibus impar,  
 58 nascentis Christi nobilitavit amor.  
 59 Natalem celebrate Dei ! Rescissus Olympus,  
 60 in caelum vobis est patefacta via.

EULOGIUM IN PASSIONE DOMINI JESU CHRISTI.

E7\_31 v.1 Plangite, mortales, liventia pectora parmis,  
 2 et grandes lacrimae maesta per ora fluant.  
 3 Ecce, deus noster, caeli terraeque creator,  
 4 protrahitur, vinctus post sua terga manus.  
 5 Perfidus ante volat sceleratam proditor alam,  
 6 auctorem vitae tradat ut ore Jesum.  
 7 "Non opus est vinclis ; caelo descendit ab alto  
 8 sponte Deus ; nectis cur fera vincla Deo ?"  
 9 Ad vocem Christi cecidisti, turba, retrorsum,  
 10 prostrata ante suos exanimata pedes,  
 11 ad cuius nutum tremit omnis machina mundi,  
 12 paret et imperio terra polusque suo.  
 13 Nectis vincla Deo, qui te de carcere solvit,  
 14 qui siccis pedibus per mare fecit iter,  
 15 urgeret cum te Pharaon instantibus armis,  
 16 submersitque hostes post tua terga feros !  
 17 Non vos commovit decisa satellitis auris,  
 18 sanavit mitis quam pia dextra Jesu.  
 19 Ceu latro pontificis socerum protractus ad Annam  
 20 ceditur, et servus conspuit ora Dei.  
 21 Ductus et ad Caipham, testes audivit iniquos,  
 22 passus et est dorso verbera mille suo.  
 23 Mane ad praetorem primo duxere Pilatum,  
 24 clamantes dignum morte fuisse Jesum,  
 25 et tormenta crucis, tamquam siccarius esset,  
 26 ingenti populus flagitat ore dari.  
 27 Clamabat : "Crucifige Jesum, crucifige, Pilate ;  
 28 ni facias, magni Caesaris hostis eris."  
 29 Ille tamen voces turbae spernebat iniquas :

30           nam causam nullam noverat esse necis ;  
 31       quin illum morte indignum dimisit Herodes,  
 32           nec voluit justis sanguinis esse reum.  
 33       Sed cedi et populo rorantem sanguine jussit  
 34           ostendi, ut plebi mitior ira foret.  
 35       Instabat tamen illa ferox : "Rape, tolle, quid haeres ?  
 36           Cum sit homo Christus, se facit ipse Deum !"  
 37       Ast ubi nequicquam potuit placare furorem,  
 38           a justo ille manus sanguine lavit aqua.  
 39       Ah, frustra excusas et causam nectis inanem :  
 40           hanc labem tollem tempora nulla tibi !  
 41       Cedant justitiae manifesta pericula mortis,  
 42           propter quam voluit vel Deus ipse mori !  
 43       Tu vero aeternum damnas sine crimine regem ;  
 44           mens foeda est, prodest quid tibi lota manus ?  
 45       Saepius exclamat populus : "Dimitte latronem,  
 46           da Barabam nobis et crucifige Jesum !"  
 47       Proh crudele nefas, caeli terraeque parentis  
 48           fodere ambrosias spineaserta comas !  
 49       Et geminos inter ligno affixere latrones,  
 50           inventus cujus nullus in ore dolus !  
 51       O charitas immensa Dei, tu verbera perfers  
 52           ut nos Tartareis eripiamur aquis !  
 53       Tu tormenta crucis voluisti sponte subire,  
 54           infernus poenis liber ut esset homo.  
 55       Ah, cur myrrhatum tribuit Judaeus acetum  
 56           et tibi cum tristi pocula felle dedit,  
 57       quem tu caelesti deserta per invia rore  
 58           pavisti, et suavis fluminis unda data est ?  
 59       In dulces fluvios undam qui vertit amaram,  
 60           reddita sunt tristi pocula felle sibi.  
 61       Talia pro meritis tibi perfida turba rependit ;  
 62           i, nunc, ingratis, optime, confer opem !  
 63       Confossus, tacuit veluti mitissimus agnus ;  
 64           carnifici veniam praebuit ipse suo,  
 65       hostibus ut laesi discamus parcere nostris  
 66           et male pro meritis nos referamus opem.  
 67       Longino lumen tribuit pro vulnere Christus,  
 68           exanimum cujus foderat hasta latus.  
 69       Congemuit caelum, contraxit lumina Phoebus,  
 70           delituit medio Cynthia fusca die.  
 71       Ne Domini mortem videant, caligo coorta est  
 72           astraque in interitu nigra fuere Dei.  
 73       Angelici lussere chori plantusque dedere  
 74           congemuitque omnis curia celsa poli.  
 75       Et si caelicolas maeror non urgeat ullus,  
 76           interitu Christi congemuere tamen.  
 77       Contremuit magno tellus concussa tumultu,  
 78           ut bissenae ferant oppida versa solo.  
 79       Ingentes petrae Christo moriente teruntur,  
 80           Pontificum at solum ferrea corda rigent.  
 81       Derident spernuntque Jesum et cervice minantes  
 82           in regem aeternum jurgia saeva vomunt :  
 83       "Hic alios salvos fecit, se perdidit unum ;  
 84           de cruce descendat, monstret et esse Deum !"  
 85       At non obscuro vidistis Lazaron antro  
 86           ad vocem Christi prosiluisse foras ?  
 87       Quis caeci nati detexit lumina ? Numquid

88           haec signa aeterni sunt manifesta Dei ?  
 89   Non miror : sanctos, haec qui cecinere, prophetas  
 90       aflixit variis gens scelerata modis.  
 91   Vineti heredem tandem fera turba peremit :  
 92       quid faciet vobis, dicite, quaeso, pater ?  
 93   Interimet perdetque omnem stirpemque domosque,  
 94       agricolisque aliis haec fodienda dabit.  
 95   Et merito, Domino totiens Judaea rebellis,  
 96       aeternas poenas, perfidiosa, lues.  
 97   Subdita semper eris, populo famulaberis omni ;  
 98       mancipium infelix, jussa aliena tremes.  
 99   Hoc genus invisum Moses ne perderet olim,  
 100       iratum flexit substinuitque Deum.  
 101   Vos regno explosit tandem patientia Christi  
 102       atque aliis caelum gentibus ipse dedit.  
 103   Quin in defunctum saevit scelerata propago  
 104       et custodiri vult monumenta Dei  
 105   signarique suis gemmis, ne forte sepulchro  
 106       discipuli effosso corpus inane trahant.  
 107   Sed frustra ! Erumpet victor Deus ; improba proles,  
 108       tene putas saxo posse tenere Deum ?  
 109   Quem non vasta capit totius machina mundi,  
 110       militibus credis posse tenere decem ?  
 111   Heu, heu, Christicole, lacrimis ploremus abortis ;  
 112       nunc verus tangat tristia corda dolor.  
 113   Cuncta elementa suum Christo moriente dolorem  
 114       ostendunt ; medio nox tenebrosa die est.  
 115   Scinduntur lapides ; tellus concussa, sepulchra  
 116       eruta, consurgunt corpora multa virum.  
 117   Ecce, jacet nimio mater confecta dolore :  
 118       quis poterit lacrimas continuisse genis ?  
 119   Virgo crucem amplectens rorantem sanguine nati,  
 120       foeda cruore linit fletibus ora suis.  
 121   Heu, gladius fuit hic vatis Simeonis acutus  
 122       qui pectus fodit, virgo Maria, tuum.  
 123   Vera parens, unum peperit sine semine natum,  
 124       qui terram verbo fecit et astra suo ;  
 125   hunc (inquam) vidit lacerato verbera dorso  
 126       sublimi affixum sustinuisse cruce.  
 127   Quis commota neget lacrimantis viscera matris,  
 128       mysteria haec quamquam noverat illa prius ?  
 129   Flevit et ipse Jesus mortemque expavit amaram,  
 130       quippe homo verus erat, verus et ipse Deus.  
 131   Propter nos caesus, propter nos vulnera passus,  
 132       propter nos mortem pertulit atque crucem.  
 133   Quis siccis adeo ingratus non ploret ocellis,  
 134       et cum matre sua virgine flere velit ?  
 135   Porphyriae ergo crucis victricia signa sequamur ;  
 136       sic, sic omnis erit tutus ab hoste ferò.  
 137   Ergo piis lacrimis flentes delicta lavemus ;  
 138       sic tribuet nobis gaudia longa Deus.

AD MATHYAM REGEM PANNONIAE INVICTISSIMUM.

E7\_32   v.1   Armipotens princeps, proles memoranda Joannis,  
           2       cui Deus et virtus cuncta secunda dedit,  
           3       hos quoque percurras, cum cessant bella, libellos :

4 heroum his laudes Calliopea canit.  
 5 Non hic imbelli luduntur carmine nugae ;  
 6 ad te ausim nugas mittere, mentis inops ?  
 7 Cum sis certa salus et nostri gloria saeculi,  
 8 ad te sacrorum scripsimus acta ducum.  
 9 Imparibusque elegis Romana per oppida primus  
 10 siderei cecini mystica sacra Dei.  
 11 Da veniam, doctas siquid rude perculit aures ;  
 12 edidit intactos nostra Thalia sonos.

DE ILLIBERALITATE MAECENNATIS ET POLLIONIS SUI TEMPORIS.

E7\_33 v.1 Carmina quid perdis ? Quae te vecordia cepit ?  
 2 Quid Maecenatis nomen inane vocas ?  
 3 Rumpe moras, proscinde libros et nomina dele !  
 4 Illusum quae te detinuere morae ?  
 5 Quid moror ? Heu, demens, foedant jam tempora cani ;  
 6 exsolvit sterilis praemia nulla labor.  
 7 Ergo alios quaerat noster sibi Pollio vates ;  
 8 non iterum surdis auribus ista canam.

GRATULATIO DE VICTORIA MATHYAE REGIS PANNONIAE  
NUPER HABITA DE INCURSIONE TURCORUM.

E7\_34 v.1 Implevit Latias laetis rumoribus urbes  
 2 vecta per Adriacos nuntia fama sinus.  
 3 Applausit niveis nuper Victoria pennis ;  
 4 flavit Pannonicis aura secunda jugis.  
 5 Dalmatiam irruerant Turcorum millia quinque,  
 6 Christicolum ut plenos depopulentur agros ;  
 7 territaque extimuit saevum Germania motum,  
 8 cum vidit terris barbara signa suis.  
 9 At non magnanimi proles generosa Joannis  
 10 contatur : fortes ducit in arma viros.  
 11 Saltus Dalmatiae et fauces intercipit artas,  
 12 ne fuga per latos ulla pateret agros,  
 13 praedantesque hostes stricto rex ense Mathyas  
 14 invadit : subito barbara tela cadunt.  
 15 Fit strages ingens ; exundant sanguine campi  
 16 sanguineque argentes intepuere nives.  
 17 Instant victores, sternunt capiuntque paventes ;  
 18 vix unus cladis nuntius inde fugit.  
 19 Pannonii exuvias laeti praedamque receptam  
 20 exportant ; capiunt praemia digna duces.  
 21 Hoc utinam felix possem spectare tropaeum  
 22 cernereque invicti principis ora mei !  
 23 Ista Sophocleis quamquam sunt digna cothurnis,  
 24 nec debent parvo carmine magna cani,  
 25 ingenii quodcumque mihi de fonte sororum  
 26 fluxerit, id regi serviet omne meo.  
 27 Ordinar invicti felicia principis arma ;  
 28 tu vires nobis ingeniumque dabis.

-----